




DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.



QUID KORAÏS

DE

NEOHELLENICA LINGUA SENSERIT

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

MONDRY BEAUDOUIN

In Facultate litterarum Burdigalensi docens.



PARIS

ERNEST THORIN, ÉDITEUR

Libraire du Collége de France, de l'École normale supérieure,
des Écoles françaises d'Athènes et de Rome

7, RUE DE MÉDICIS, 7

1883



PROŒMIUM

Suam hodierni Græci ita minime curant linguam, ut vix ea incuria intellegeretur, nisi ex eorum scriptis tantum studium priscæ linguæ appareret. Tota enim Græcia veterem linguam discunt, nec solum scribendi sed etiam loquendi causa, et tantummodo ingenuus existimatur scriptor prout veteribus formis ac vetere verborum constructione qualem esse grammaticæ omnes tradunt utitur. Nec sane mirum est tanto amore Græcos linguæ Isocratis et Demosthenis studere; quo autem illud desiderium dialecti iam abhinc tot sæculis obsoletæ? Quid est cur formas veteris nominum verborumque declinationis veteremque syntaxin redintegrare velint? Ille ex antiqua dialecto certis legibus ortus, ille verus Græcorum recentiorum sermo quo utitur universus Græcorum populus, ne multa neohellenicus sermo quis qualisque factus est? At enim non contemnitur hodierna lingua. Immo ita neglegitur ut ex illa philologa disputatione, quæ Græcorum hoc incipiente sæculo animos detinuit, omni spe amissa resurgendi damnata esse videatur.

Historiam autem neohellenicæ linguæ intuenti ita semper diversas ob causas fuisse apparebit. Recentior enim dialectus, ut in universum eam æstimemus, nunquam digna visa est quæ animos ac studia in se inflecteret; nec magis præsentis sæculi Græci quam qui quintodecimo sæculo vixerunt hoc sibi maximi momenti esse putaverunt, suam ipsorum linguam permulto opere ac studio paulatim ad perfectam speciem perducere, unde litteraria ut ita dicam lingua evaderet. Ut enim dialecti quas neolatinas vocamus linguam latinam exceperunt, easque grammaticis

glossariisque ornatas viri doctissimi et scientiæ philologæ curiosi ita elaborate tractaverunt ut causarum investigatione certas formationis leges perspexerint, vulgares autem loquendi modos crescere siverint cohibitos modo his legibus quales esse ipsa linguæ natura pateretur, sic obsoleta veterum Græcorum lingua nova nata est dialectus quæ similiter expoliri posset atque ad excellentem formam perduci; ea autem non ad eundem perfectionis gradum pervenit, quod neque recte loquendi canones in convenientem grammaticam redacti, neque glossaria quæ vocabulorum naturam describerent apte composita sunt, quod denique illi homines qui græce loquuntur, propriam dialectum obliti et vano concitati studio loquendi ac scribendi ut illustres illi Græciæ antiquæ scriptores, nihil nisi veterem maiorum linguam respiciebant.

Attamen non ab omnibus, quod recte vertit, neglecta fuit hodierna lingua, et inter Græcos nonnulli fuere quibus ea recentior lingua qua uterentur haudquaquam spernenda visa sit; iidemque cum dialectum quamlibet, licet pro temporibus mutatam, nihilominus ex certis legibus pendere intellexissent, operæ pretium esse existimaverunt eas leges in unum corpus colligi ex quo haurirentur et disciplina linguæ et recte scribendi principium. Inter omnes vir Græcus origine cui altera patria Gallia fuit, sua neohellenicæ dialecto fata esse ratus, illius studium magno adiumento fore Græcæ nationi ad reciperandam libertatem suspicatus est. Ille vir est Adamantius Koraïs, qui natus Zmyrnæ ~~Chii~~ anno post Christum MDCCXLVIII° et postea in Galliam advectus medicinæ discendæ causa atque ad gradum doctoris inclita in urbe Montepessulano promotus, Lutetiam Parisiorum devenit, ubi magno vitæ spatio peracto mortuus est, illam laudem vita et scriptis consecutus ut et patria Græcia et altera cuiusque viri sapientis patria, Galliam dico, æternam eius memoriam retinerent.

Nostra ætate haud dubium est recentiorem Græcorum dialectum in se doctorum virorum studium convertisse, dummodo scripta tum Gallorum tum Germanorum tum aliorum philologorum evolvas; id quoque pro certo habendum est hanc dialectum ante sæculum XIX^{um} vix cognitam fuisse. Præterquam enim quod quædam grammaticæ et glossaria quædam conscripta sunt et in aliquot librorum præfationibus laudata est hodierna lingua, nemini venit in mentem, adeo linguarum studium iacebat, eam

non veterem esse linguam, sed a vetere derivatam esse, et idcirco eodem studio, immo maiore esse dignam quo dialecti e latina lingua oriundæ; ex illa enim sola, cum sola sit græcæ linguæ filia, perspicitur quibus e legibus mutatus sit vetus sermo, mutationes autem latini sermonis ex ceteris dialectis quas romanas dicimus etiam deficiente una indagari possunt.

Cum autem, hoc sæculo incipiente, res novæ in Græcia imminerent, ea fuit causa cur viri docti maiore studio novam patriæ dialectum prosequerentur, qui libero populo non solum instituta et mores et reipublicæ disciplinam propriam, sed etiam propriam esse linguam nec immerito æquum censerent; fines enim linguæ, ut nostris temporibus vidimus, pro finibus nationum sæpe habiti sunt. Quos inter viros unus fuit patriæ amantissimus Adamantius Koraïs. Abs re autem non alienum mihi videtur rationem reddere cur huic libro nomen Koraïs, non Christopuli aut Neophyti Dukæ aut alius cuiusvis inscripserim. Illi enim sicut Koraïs libertatem Græcorum eodem tempore scriptis vindicantes renovationem linguæ principium esse libertatis existimabant; sicut Koraïs docti et patriæ amantes linguam neohellenicam videntur penitus cognovisse. Quid est igitur quod Koraïs præ omnibus in se oculos convertat, eiusque disciplina iis qui recentiorum Græcorum linguæ student dignior sit de qua agatur? Mihi quidem rem tractaturo multæ sunt causæ : ita enim Koraïs græcæ linguæ scientia æqualibus præstat ut doctissimis viris Villoison, Boissonade, Thurot, et aliis æquiperari posse videatur; æquales vero nobis fere ignobiles; tum diutissime vixit in Gallia, litterario commercio et amica consuetudine usus cum omnibus illius temporis viris eruditis, et in eo multa, quæ ex epistulis eius constat, gallici sermonis ut in homine peregrino scientia erat; denique media est eius disciplina inter ceteras quæ illa ætate in lucem prodierunt, eaque de neohellenica lingua quæ scripsit, quanquam in varias incurrunt reprehensiones, communem plerorumque sententiam pro tempore referunt. Præterea in illa quæ tunc incidit Græcis philologa contentione inter omnes fuit conspicuus (1), et solus eam dialectum, quæ antea ut barbarogræca contempta fuerat, quanti momenti esset diiudicavit. Quibus de causis, et per se memorabiles sunt de lingua neohellenica opiniones Koraïs, et ad

(1) Cf. Ἀπάνθισμα ἐπιστολῶν, in præfatione, p. ε : Μεταξὺ τούτων ὅλων τῶν σοφῶν καὶ ἀξιολόγων ἀνδρῶν ἀναλάμπει ὡς ὁ ἥλιος ὁ Ἀδαμάντιος Κοραῆς.

cognoscendam huius linguæ historiam utilissimæ. Quid ergo de recentiore Græcorum dialecto senserit Koraïs, quam probaverit constituendæ linguæ disciplinam, quantam auctoritatem et vivus et mortuus obtinuerit hac dissertatione disputabimus.

Ad conscribendum librum hæc mihi potissime opera præsto fuerunt :

Adamantii Koraïs *Opera*, peculiariter τὰ Ἄτακτα, et editiones Heliodori, Æliani, Isocratis, Plutarchi Vitarum parallelarum, quibus, excepto Heliodoro, præfationes præscripsit Στοχασμοὺς αὐτοσχεδίους περὶ τῆς ἑλληνικῆς παιδείας καὶ γλώσσης.

Ἀπάνθισμα ἐπιστολῶν Ἀδαμαντίου Κοραῆ, ἐκδίδοντος Ἰακώβου Ῥώτα. Ἐν Ἀθήναις, 1839.

Ἀπάνθισμα δεύτερον ἐπιστολῶν Ἀδαμαντίου Κοραῆ. Ἐν Ἀθήναις, 1841.

Lettres inédites de Coray à Chardon de la Rochette et à divers savants français (1790-1796), editæ a marchione de Queux de Saint-Hilaire. Paris, 1877.

Lettres de Coray au Protopsalte de Smyrne Dimitrios Lotos, gallice primum translatæ et editæ a marchione de Queux de Saint-Hilaire. Paris, 1880.

Athanasii Christopuli Γραμματικὴ τῆς Αἰολοδορικῆς *(sic)* ἤτοι τῆς ὁμιλουμένης τωρινῆς τῶν Ἑλλήνων γλώσσης. Ἐν Βιέννῃ, 1805.

Neophyti Dukæ Ἡ κατ' ἐπιτομὴν γραμματικὴ Τερψιθέα. Ἐν Βιέννῃ, 1804, præcipue secunda editio, 1808. — Περὶ τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης, et Περὶ τῆς λαλουμένης γλώσσης, opuscula, cum epistulis nonnullis, editioni Æschinis Socratici (1813) subiuncta.

Panaghiotis Kodrikæ Μελέτη τῆς κοινῆς ἑλληνικῆς διαλέκτου. T. I. Ἐν Παρισίοις, 1818.

Ἐπιστολαὶ αὐτοσχέδιοι γραφεῖσαι ὅταν ἐφάνη ἡ δευτέρα τῆς Τερψιθέας γραμματικῆς ἔκδοσις, ἐκδοθεῖσαι ὑπὸ Ἀλεξάνδρου Βασιλείου. Ἐν Βιέννῃ, 1809.

J. Rhizi Neruli *Cours de littérature grecque moderne*. Genève, 1827.

Eiusdem Τὰ Κορακιστικά, ἢ διόρθωσις τῆς ῥωμαίκης γλώσσας. Κωμῳδία εἰς πράξεις τρεῖς. 1813, locus editionis deest.

A. R. Rangabé : *Histoire littéraire de la Grèce moderne,* 2 vol. Paris, 1877.

Sathas : Νεοελληνικῆς Φιλολογίας παράρτημα. Ἱστορία τοῦ ζητήματος τῆς νεοελληνικῆς γλώσσης. Ἐν Ἀθήναις, 1870.

Ἑρμῆς ὁ Λόγιος ἢ φιλολογικαὶ ἀγγελίαι. Ἐν Βιέννῃ, 1811-1814, 1816-1821.

CAPUT I

Quis fuerit ante Koraïm neohellenicæ dialecti status.

Quamvis Koraïs, ut verum loquar, recentioris linguæ studio operam primus omnium dedisse dici non possit, nihilominus ante illum dialecti origo et cursus et leges propemodum ignorabantur. Mihi itaque, quo melius eius disciplinam intellegamus, in primis græcæ linguæ ante hoc sæculum rationem breviter disserere in animo est.

A sæculo xvi°, dixit Mavrophrydis, in libro quem Δοκίμιον ἱστορίας τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης inscripsit, natura linguæ, quod ad formam attinet, nulla mutatione gravi adfecta est (1). Quæ quidem sententia, si summatim historiam linguæ et universam scribendi consuetudinem ab illo sæculo ad nostram ætatem complectaris, comprobari potest; cum autem non modo singulorum scriptorum orationem, sed præsertim quæ identidem tentata fuerint expoliendæ linguæ causa respexeris, valde impugnanda videbitur. Ex ipsa enim ratione Koraïs eiusque discipulorum necnon ex illo philologo certamine in quo primas partes egit, intellegere est neohellenicam vel romaïcam dialectum, trium sæculorum spatio haud graviter commutatam, hac ætate incipiente diversas vicissitudines ita passam esse ut tandem ad stabiliorem statum, rem antea inauditam, pervenerit.

Ea erat græcæ linguæ xvi° sæculo species ut ferme incompositam et perturbatam sese præberet. Nulla enim est grammatica quæ elementa tradat, nullum glossarium quod collecta habeat vocabula; inde nulla lege scriptor obstringitur, aut si qua est adeo est dubia ut eam suo quisque arbitratu et servet et neglegat;

(1) Ἀπὸ τοῦ ιστ' αἰῶνος δὲν συνέβησαν οὐσιώδεις μεταβολαὶ περὶ τὸ τυπικὸν τῆς γλώσσης. Mavrophr. Δοκίμ. p. 3.

amissisque virtutibus quæ in vetere lingua erant, Græcorum sermo nondum recentioris virtutes adquisiverat, nec cuiquam grammatica disciplina necessaria videbatur. Nonnulli tamen poetæ, cum vix poetas vocare possimus illos interpretes et commentatores et imitatores veterum operum vel fabularum medii ævi, sermone vulgari uti ausi erant, adeo autem externis vocabulis permixto, turcicis, gallicis, italicis, ut barbarior esset atque omnino impediretur. Neque orthographia erat, aliis aliter litterarum sonos referentibus; et casuum vis, etiam forma permanente, fuerat oblitterata. Tum Græci, id multo gravius, corruptam degeneremque dialectum videbantur aspernari; quæ tamen legibus excoli atque e barbaro statu resurgere poterat; qua cum scriptores quidam, et ii quidem haud iniucunde, usi essent, non temere erat coiciendum ordinem ex illa confusione oriri posse, neque enim interituram vulgarem dialectum, neque quicquam obstare, et patria oppressa, quominus liberam, id est politam et venustam et elegantem suam linguam Græci efficerent.

Adfirmare non dubitaverim iam antea Græcis fuisse manifestum linguam Platonis et Demosthenis mortuam esse; et quanquam illiusmodi quæstionum incuriosi græcæ linguæ commutationes non animadvertebant, experiendo cognoscendum erat veterem dialectum iam ab intellectu vulgi longe abesse, et ea, quæ græce scriberentur et recitarentur, a perpaucis intellegi. Quibus ut ad id scientiæ pervenirent studio ac labore opus erat, et quamvis Byzantii non adeo inculte loquerentur, magis credere libet veterem linguam pro obsoleta habitam fuisse, ut quæ non esset communis omnium dialectus. Insuper illius linguæ studium Byzantio capto aliquamdiu fuerat omissum; viri enim eruditi ad populos occidentis diffugerant, manuscripta et scientiam antiquitatis secum ferentes, nec renascentes litteras eæ regiones, quem fontem litterarum dicere possumus, nisi longo post intervallo temporis viderunt. Itaque illo maxime tempore, quo facilius intellegerentur opera græce conscripta, necesse erat ut in linguam magis usitatam, id est vulgarem, transferrentur; et Nicolao Lukani qui primus librum neohellenice scripsit Iliademque ut litteratus quisque, non vulgus delectaretur, vertit in vulgarem dialectum, obscuritatis vitandæ causa visum est ea veteris linguæ verba quibus usus esset glossario explanare.

Illa Lukanis translatio inter alia xvi saeculi exeuntis opera non mediocris est ad cognoscendam linguam illius temporis; haud

difficulter discernitur et orthographiam in ambiguo esse et grammaticas leges omnino inconditas. Quid enim, si modo carmen primum consideres, quam ancipitem linguæ usum et veterum formarum veterisque verborum constructionis cum recentioris linguæ formis et syntaxi mixturam videas? Nunc enim infinitivus occurrit et futurum et optativus, nunc hodiernæ dialecti circuitus; dativi multus usus, quanquam alius casus interdum substitutus est; de verborum incremento non est cura, et omnibus casibus sine lege præpositiones serviunt. Nec minor confusio apparet in summariis quæ soluta oratione scripta sunt; in quibus genuinam illius ætatis linguam deprehendimus, obsessam ut ita dicam recentioribus verbis et constructionibus, necdum litterariis operibus maturam, cum regulis careret.

Erat autem et deficientibus regulis consuetudo quædam communis quam necesse erat ad leges revocare; sin minus periculum erat ne barbara fieret lingua et prorsus corrumperetur; magni igitur intererat ita scribendi et loquendi artem constituere ut prohiberentur auctores prout placeret cuique scribere; et desiderabatur qui linguam neohellenicam servaret a maiore corruptione, depulsoque quidquid corrigendæ obstaret, legibus contineret certis, et in primis utriusque dialecti, cum adhuc essent mixtæ, fines ita terminaret ut omnibus aperte appareret illinc mortuam esse veterem dialectum, hinc recentiorem vivere; grave quidem opus et immensum nec solum per se difficile, sed quia non posset auctor vituperationes et inimicitias, forsitan et publicam neglegentiam, rem graviorem, non subire; unde tot annorum labor irritus ingloriusque evanesceret, et de renovanda lingua esset desperandum.

Necessitas tamen instabat: et grammatica erat opus qua regerentur nominum verborumque declinationes et structura, et glossario quod formam sensumque vocum definiret; nam liber uterque usui confirmando utilis. Quoniam enim in cursu et ut ita dicam vita cuiusvis linguæ, et peculiariter linguæ derivatæ, certo tempore grammaticas leges in unum corpus colligere est opportunum, id est cum, lingua vetere sensim collabente, ex ruinis nova emergit lingua quæ in dies crescit et sumit vires et omnes virtutes matris aspectu modo commutato consequitur, velut ex vetere trunco novæ nascuntur virgæ et in pristinum arboris vigorem crescunt; ad id ipsum tempus græca lingua xvi° sæculo iam pervenerat; et cum reipsa novam adolescere lin-

guam diversam a priore postea græca vetere dicta compertum est, tum Græci se ad studium huius linguæ conferre cœperunt, qua omnes tota Græcia utebantur. Conscius equidem mihi sum cum quibusdam me dissentire quorum iudicio non nisi senescente lingua grammaticæ componantur; hoc vero est animadvertendum, non posse eo usque permanere linguam inordinatam dum deflorescat, necessariasque illi esse leges simul atque orta est, ideoque linguæ iam florentis et viventis grammaticam esse signum. Sed de his infra sum dicturus.

Iamque in Europa in honore erat artis grammaticæ studium; etenim viri docti, non remissa veterum linguarum cura, nihilominus recentiorum erant curiosi, et apud plerosque occidentis populos grammatici canones in libros redacti fuerant. Quæ cum animadvertisset Corcyræus quidam Nicolaus Sophianus nomine, vir eruditus et patriæ amans, consilium cepit romaïcam linguam, aliorum exemplum secutus, grammatica illustrare, ut ipse in præfatione operis docet: « Cum viderem plerasque nationes hac nostra tempestate suas certatim linguas exornare, non solum scribendo res scitu dignas quæ aliunde haberi non possunt, verum ad regulas grammatices diligenter eas dirigendo, cœpi etiam ipse cogitare an operæ pretium facturus essem, si linguam nostram qua vulgo Græci utimur ad methodum et canones revocarem (1). » Protinus igitur rem adgressus primam romaïcæ linguæ grammaticam romaïce conscripsit. Accidit autem perincommode quod ea grammatica non edita est, et prope crediderim eam vix cognitam fuisse; constat utique frustra laboravisse Sophianum, Græcos enim romaïcam dialectum non pluris æstimavisse, et litteratos Europæ, si qui vulgari Græcorum linguæ ut Martinus Crusius studerent, potius curiositate videndi quam penitus cognoscendi studio impulsos fuisse. Inde centum ferme annos recentioris græci sermonis cura ita neglecta est ut Crusio scriberet Zygomalas « nec libros romaïce scribi nec lexicum esse linguæ vulgaris, quod is labor sterilis esse videretur; pecuniam si darent Europæi, se opus esse facturos (2); » studium post nummos. Initio autem sæculi XVII[i] Simo Portius Neapoli parentibus græcis natus neohellenicæ linguæ grammatica et

(1) Νικολάου Σοφιανοῦ τοῦ Κερκυραίου γραμματικὴ τῆς κοινῆς τῶν Ἑλλήνων γλώσσης, ed. Legrand, 1870; p. 25.

(2) In *Turcogræcia* Crusii, p. 431.

glossario opus esse ut Sophianus intellexit. Cum itaque lexicum prius composuisset, grammaticam linguæ græcæ vulgaris cum brevi proœmio, præscripto cardinalis Richelii nomine, Lutetiæ Parisiorum anno MDCXXXVIII° edidit (1).

Portii autem opus nihil profuisse Græcis non mirum est, cum latine scriptum sit ideoque Græcis in Græcia viventibus manserit ignotum. Ceterum alia erat causa cur studium linguæ vulgaris omitteretur; necdum enim dialecti emendationem rationem esse restituendæ libertatis Græci existimabant, nec quisquam denuntiaverat, ut multi postea, libero populo aut libertatem vindicanti linguam esse liberam, id est propriis constitutam legibus externaque contagione expeditam oportere; namque præter Sophianum neminem Græci dicentem audierant : « Linguam discite qua omnes utimini, quæque adeo est honesta et iucunda ut nescio an alia lingua cum ea æquiperari possit (2). »

Nec tamen defuerant qui sermonem vulgarem minime contemnendum iudicarent; quos inter Zacynthius quidam monachus Pachomius Rhusanus utilissimum fore iam primis annis XVI[i] sæculi scribebat, si quis varias vulgaris linguæ dialectos, collectis singularum verbis, inter se conferret (3); opportunum sane consilium (etenim distinctiores illo tempore erant dialecti), et ipsi Koraï postea haud aliter visum est; sed vana fuit adhortatio, cum Græci tristiore servitute premerentur quam ut litteris dare operam possent; neque enim ultima et illa brevis Venetorum dominatio studiis adiumento fuit, et iterum anno MDCCXVIII° Turcorum iugum passi propemodum libertatem desperabant. In tali rerum fortuna quæstio de lingua, τὸ ζήτημα τῆς γλώσσης, nihil curabatur, quippe quæ nondum quæstio publica facta esset.

Græci autem initio proximi sæculi non maiore diligentia neohellenicam dialectum excoluerunt; immo linguæ vulgaris quam latine barbarogræcam, græce τὴν χυδαίαν γλῶσσαν vocabant in dies crescere neglegentia videbatur. Ut enim exemplum adferam, Alexander Helladius in libro cui titulus est *Status præsens ecclesiæ græcæ* de lingua vulgari disserens, eam prorsus esse barbaram iudicat, qua si uterentur « summum esset periculum ne plane in barbariem grex Græcorum subito deveniret (4). » Quoniam

(1) Quam v. in Cangii *Gloss. ad script. med. et inf. græcit.*, p. XX-XL.
(2) Sophiani *Grammat.*, p. 79.
(3) Sathas, Νεοελληνικῆς φιλολογίας παράρτημα, p. 15 sq.
(4) Sathas, *op. laud.*, p. 118, et n. 2.

autem Helladius plurimum auctoritatis apud Græcos habebat, causa recentioris linguæ, neque enim pauci erant Helladii sententiæ laudatores, omnino perdita videbatur cum subita studiorum commutatio facta est. Quam ut diversa effecerunt, ita diversa secuta sunt. Alii enim, haud multi quidem, ægre patientes linguam vulgarem ita contemni atque haberi rudem et incultam, græcobarbaræ linguæ appellationem toti Græcorum generi contumeliæ esse existimaverunt, et publicæ dignitatis diligentissimi omnem operam dederunt ut easdem neohellenicæ dialecto quas aliis Europæ linguis virtutes inesse demonstrarent; qui et ipsa vetere lingua adiutrice usi sunt, ut quam recentior non solum iactaret matrem, sed cuius effigiem incorruptam verbis et verborum constructione plane referret. Alii autem acriores animo minus moderate egerunt; qui cum non satis haberent vulgarem dialectum defendere ac laudibus extollere, linguæ veteri denuntiaverunt bellum, vetueruntque ne quis scriptor ea uteretur; eo vehementius eam insectati quo fastidiosius adversarii rusticitatem recentioris respuebant; et hanc præbebant causam, veterem nempe linguam iam non intellegi, unam vero ab omnibus Græcis tota Græcia intellegi neohellenicam. Nonnulli denique quanquam non aliam esse patriam Græcorum linguam ac veterem arbitrabantur, tamen transactione quadam utriusque dialecti probaverunt usum, quarum recentior in sermone cotidiano, etiam quadam indulgentia in versibus componendis, vetus autem in scriptis proprie litterariis ac philosophicis adhibenda esset.

Id fuit magnæ illius principium controversiæ quæ ad summam vehementiam primis huius sæculi annis pervenit, cum sui cuique factioni duces fuere docti atque auctoritate graves, et usque ad nostram ætatem processit. Ubi autem ferme ab initio de emendanda lingua et de instauranda libertate una fuit disceptatio ideoque illam controversiam ad publicam utilitatem multum pertinere compertum est, eo magis Græcorum omnium animi sollicitati sunt; alioqui exstiterunt ephemerides et periodicæ chartæ per quas suam quisque sententiam in publico proposuit; ita ut eo tempore Græcorum doctissimi, in primis qui in Europæ urbibus inter homines cultiores, ut Vindobonæ, Lutetiæ, Tergesti, Bukurestii vivebant, innumerabilia de dialecto qua Græci deberent uti conscripserint.

Nondum tamen, quo aptius dicamus, certamen exortum erat; minus enim acerbi et pugnaces erant scriptores. Quorum qui lin-

guam vulgarem laudabant lenissimis verbis utuntur; exempli gratia Georgius Constantini in præfatione glossarii quadrilinguis ita ferme loquitur : « Sunt qui nostram linguam barbaram nostrosque cives barbaros esse iudicent; discant vero ex hoc opere calumniatores, modo ne mala fide agant, communem nostri generis dialectum iucundam esse et numerosam [1]. » Defensores autem veteris linguæ eundem modum servabant; cum tamen Eugenius Bulgaris Corcyræus paulo acrius in vulgarem dialectum invectus exsibilandos esse libellos philosophiæ docendæ causa romaïce conscriptos dixisset, quod ad scientiam divulgandam non esset accommodata lingua communis [2], tum responderunt alii, quos inter Mœsiodax et Demetrius Katartzis, quorum alter obscuram esse pro tempore linguam veterem declarat [3], alter autem, et ipse quidem de industria rustice scribit, necesse esse ut scientia et artes romaïce tradantur [4]. Illis autem temporibus inter defensores neohellenicæ dialecti conspicui sunt Gregorius Konstantas et Daniel Philippidis, Thessali ambo, de quorum sententiis paucis disserere in rem esse arbitror, ut quorum nonnullas opiniones aliquanto post Koraïs rursus exprompserit.

Non solum Konstantas hortatur Græcos ut vulgari lingua utantur, sed etiam eorum stimulat animos, exemplo externarum gentium proposito; primus omnium aperte docet usum emendationemque linguæ ad publicam gloriam valde pertinere, eoque non contentus expostulat ut grammatica et lexicum, res pernecessariæ, conficiantur; nec tamen ipse rem adgreditur quod tantæ molis sint opera quæ vix ab uno perfici possint. Cum autem, socio Philippidi, *Geographiam* anno MDCCXCI° edidit, in procemio cives obiurgat de neglecto linguæ studio scriptoresque a veterum imitatione avertit. « In antiquitate, inquit, Homerum imitari, Xenophontem imitari voluerunt; quid autem aliud quam vano labore sudaverunt? Lingua enim mutata est, nec nisi

(1) Θησαυρὸς τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης ἤγουν λεξικὸν τετράγλωσσον περιέχον δηλαδὴ τὰς τέσσαρας ταύτας διαλέκτους, ἑλληνικήν, πεζὴν ἤτοι ἁπλῆν ῥωμαϊκήν, λατινικὴν καὶ ἰταλικήν. Τόμος I, περιέχον πλουσιώτατον ἀμέλει τετράγλωσσον λεξικὸν τῆς ἑλληνικῆς διαλέκτου. Sequitur titulus idem latine. Sathas, *op. laud.*, p. 125 sq.

(2) V. Neoph. Dukæ opusculum Περὶ τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης, editioni Æschinis Socratici subiunctum, in quo, p. 292, commemorata sunt hæc verba Bulgaris, e *Logica* eius, p. 49, excerpta.

(3) Sathas, *op. laud.*, p. 149 sq.

(4) Vide Katartzis epistulas, in *Grammatica Terpsitheæ* Dukæ.

lingua quæ est in usu quisquam scribere potest. Haud aliter nostra ætate qui vetere lingua utitur incondite atque iniucunde scribit. Quin etiam dialectum hodiernam emendare atque exornare conaris ex fonte veteris sumptis ornamentis et emendationibus, quod equidem non improbo; verum ita vetera verba veteresque verborum complexiones in vulgarem dialectum inducis ut nihil nisi barbaram discordemque græcæ et romaïcæ linguæ mixturam efficias quam neque veteres neque recentiores Græci intellegere possint (1). » Tum magnum illud præceptum iampridem in Gallia cognitum, iisdem fere verbis quibus olim romanus poeta de usu scripserat :

Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi

sic tradit Konstantas: Ἡ κοινὴ χρῆσι ὁποῦ εἶναι δημιουργὸς καὶ γραμματικὴ κάθε γλώσσας. Quod ad lexicum grammaticamque attinet, suadebat Konstantas ut institueretur academia qualis apud alias nationes, cuius officium esset linguam ad certas leges revocare; de quo in translatione *Elementorum philosophiæ* Soavii pluribus verbis disserit. Eandem fere sententiam exprompserat Philippidis qui, *Logica* Condillacii in neohellenicam dialectum versa, in procemio linguæ vulgari lexicum et grammaticam deesse deplorabat. Mox autem, ubi edita est Christopuli *Grammatica æolodorica,* eius disciplinam amplexus, fervidus discipulus illustri poetæ accessit.

Ne forte credas, quibusdam ita scribentibus, Græcos se ad studium linguæ recentioris peculiariter convertisse, et quæsitas fuisse ab ipsis auctoribus leges grammaticas, ut tandem lingua ad excellentem formam perveniret. Scribebant libros, ex alia lingua in græcam opera transferebant, præmisso exordio de universa dialecti indole, de eius virtutibus, de necessitate lingua vernacula loquendi, nec quicquam præterea; nihil de recta sermonis consuetudine. Quid igitur mirum si suo quisque iudicio scripsit? Expresse admonet Philippidis ne miretur lector quod in verba figura et accentu minus congruentia cum linguæ communis legibus inciderit, nullum enim esse opus (grammaticam et lexicum dicit) quo adiuvante recta consuetudo a vitiosa diiudicetur (2).

(1) Sathas, *op. laud.*, p. 178 sq.
(2) Præfat. supra laudat. translationis : Sathas, *op. laud.*, p. 192.

Quod ad opiniones Græcorum attinet, medium est inter antecedentem et sequentem ætatem XVIII^um^ sæculum; cuius homines in disputatione acriores prioribus, posterioribus autem in studio neglegentiores; ut superiore sæculo ipsa omittitur dialecti vulgaris cura; ut inferiore, lingua videtur emendanda atque ornanda; grammatica opus esse sentiunt, quod ante non fuit intellectum, et in eo perstant, post autem procedere ultra tentatum est. In studio linguæ vix profecerunt Græci; multum quidem scripserunt, disseruerunt, argumentati sunt; effecerunt autem nihil; et omnia consilia sine effectu steterunt. An ideo nihil illo tempore fuit boni? Minime equidem nego, quia saltem, quamvis linguæ vulgari parum studerent, eam discendam esse intellexerunt, romaïcamque linguam non adeo barbaram corruptamque esse quæ emendationem non reciperet, atque in ea utique perennia permanere vestigia originis, ne multa eam esse quæ, modo curaretur, ad pristinam veteris linguæ iucunditatem atque elegantiam revocari posset. Cum enim alii ex proposito linguam recentiorem repudiabant, alii ea sola Græcos uti oportere viderunt, isque progressus fuit. Itaque ab iis quæ senserant Græci priore sæculo necessario doctrinæ XIX[i] sæculi et magnæ disputationes ortæ sunt.

Is erat linguæ neohellenicæ status, eæ fuerant studiorum vicissitudines, cum scribere Koraïs cœpit; et grammaticæ, si qua componeretur, inscribi poterant hi versus quos in fronte grammaticæ linguæ veteris legimus (1) :

Οἰκοδομεῖν χωρὶς θεμέθλου πόνος ἐστὶ μάταιος·
Νόσφι δὲ γραμματικῆς ἀνεμώλιόν ἐστι μαθῆσαι.

(1) In grammatica Bessarionis Makris, iterum 1780 edita.

CAPUT II

De Koraïs ratione.

I. — *De universa ratione.*

Anno MDCCCXVII°, cum ad summum acerbitatis pervenisset de communi dialecto controversia, prudentissimus quisque non solum in Græcia sed etiam in Europa pacem exoptabat; universam autem omnium sententiam in carmine quodam Εὐχαὶ ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος dicto deprehendimus, cuius auctor fuit Sophronius Atheniensis, in monasterio Vatopædensi monachus, partes Koraïs ut videtur amplexus (1) :

Θεέ μου παντοδύναμε, πληρωσον τὰς εὐχάς μου !
Ἔμπνευσον . . . .
. . . .
Εἰς πάντας τοὺς Κοραϊστὰς ἐπιμονὴν μεγάλην,
Εἰς τοὺς Ἀντικοραϊστὰς κρίσιν κ' εὐγνωμοσύνην,
Εἰς τοὺς Ὑπερκοραϊστὰς τὴν μετριοφροσύνην.

Quænam factiones adeo vehementer certabant? Hactenus autem haud probe intellectum fuisse mihi videtur quale fuerit certamen illud, quod ad annum MDCCCXXI^um^ omnium Græcorum animos incendit; nec satis quæ et quales fuerint variæ opiniones quibusque temporibus propositæ fuerint apud auctores constitisse. J. Rhizus Nerulus, in opere *Cours de littérature grecque moderne*, tres rationes discernit. « Prima, inquit, non ab alio fonte orta erat atque a consilio quodam linguæ recentioris locupletandæ, repetitis veteribus vocabulis quæ vel graviter corrupta essent vel prorsus obsoleta; unde græca oratio nihil aliud quam verborum admodum veterum et vulgarium rusticarumque dictionum mixtura erat. » Princeps erat Neophytus Dukas huius

(1) *Hermes Logius*, 1817.

disciplinæ, quam Koraïs nomine *macaronismi* notavit. « Secundæ autem rationis laudatores suadebant ut quemadmodum adhiberetur in sermone cotidiano ita recentior dialectus sine ulla verborum mutatione in scribendo usurparetur. » Caput erat, Rhizi sententia, Katartzis iurisconsultus, cuius discipuli Philippidis et Christopulus fuere. Tertiam denique dicit esse sententiam Koraïs, qui ut linguam emendaret nullas voces admitteret e vetere dialecto sumptas nisi in locum externarum dictionum, græce ξενισμῶν, quas expellere in primis oporteret, substituerentur (1).

Hæc autem Rhizi expositio (sicut et aliorum) mihi cum vero rerum statu consentanea non videtur. Quod enim ad vulgarem linguam attinet, fuerunt in Græcia, meo quidem iudicio, quattuor scholæ inter se parte aliqua consentientes, in reliquis autem rebus contrariæ, quarum principatum tenuerunt Athanasius Christopulus, Neophytus Dukas, Panaghiotis Kodrikas, et Adamantius Koraïs. Fuerunt quidem ante illos nonnulli viri qui suam de lingua sententiam, cum nondum ortum esset certamen, exprompserint, ut Philippidis et Kommitas et alii quidam; sive autem non satis rem cognoverunt, sive minus sibi esse ingenium senserunt minoresque vires quam ut scholæ cuiquam præessent, statim alii in alias partes se contulerunt. Præterea, duplex fuit controversia; primum enim inter Dukam et Koraïm, deinde ab anno MDCCCXVI°, postquam iterum editus fuit Hermes Logius ephemeris, inter Kodrikæ fautores et discipulos Koraïs exstitit. Excepto autem Christopulo, ita pertinaciter pugnaverunt ut discordiæ sola Græcorum pro libertate rebellio finem imposuerit.

Nemo in Græcia fere exstitit qui maiorem admirationem, nemo qui maiora odia moverit quam Koraïs. Cuius cum hac nostra ætate proferimus nomen, significamus magnum civem et litteratorem doctum et peritum philologum; consentiunt omnes cum Græci tum Europæi in illo laudando, atque uno ore illum de patria optime meritum fuisse confitentur. Incipiente autem hoc sæculo, ab aliis renovator linguæ, par Lysiæ et Isocrati iudi-

(1) P. 110 sq. De qua controversia inter alios egerunt Sathas, *op. laud.*, p. 210 sq.; Rangabé, *Hist. litt. de la Grèce moderne*, t. I, p. 81 sq.; de Queux de Saint-Hilaire, *Notice sur les* Κοραχιστικά, in *Annuaire pour l'encour. des Ét. grecques*, 1870, p. 67 sq. — Cf. N. Dukam, Περὶ τῆς ἑλλ. γλώσσης, p. 295 sq., et paginas aliquot *Hermæ Logii*, 1811, p. 190, et 1819, p. 408.

catus est; ab aliis litterio, linguæ corruptor, mendax iracundusque senex. Criminationibus petitus multis, omni laude cumulatus, et multorum odium acerbum suscepit, et multorum amicitia recreatus est. Fuit ille litteris græcis eruditissimus; idemque peritissimus recentioris dialecti eiusque vicissitudinum, et linguarum tractandarum edoctus rationem, cum scientia veteris linguæ indefessam in investigando diligentiam rerumque intellegentiam acutissimam consociavit. Is erat idcirco qui ubi primum scripsisset, cum illo tempore de recentiore dialecto incidisset controversia, in se omnium oculos esset conversurus. Quanquam autem fuit infirma valetudine et gravibus morbis adfectus, tamen ad provectam ætatem et vividum ingenium et alta consilia et immutatas opiniones usque retinuit; neque ullum intermisit diem quin cives ad patriæ libertatisque amorem atque ad studium bonarum artium cohortaretur, illasque veterum auctorum editiones, quæ temporibus illis inter perfectissimas numerabantur, et nunc etiam quanquam multum increvit ars grammatica eandem fere auctoritatem obtinent, iuvenum educandorum gratia elaboraret.

Koraïs integrum de lingua neohellenica librum non scripsit; cum enim eius adversarii operibus ad id ipsum confectis suam quisque rationem fulcirent, ipse quotienscumque datur locus, in procemiis, in adnotationibus, in epistulis præcepta tradit, relicta discipulis confectione grammaticorum librorum, quorum primum scripsit Darvaris. Multam quidem et ipse grammaticæ materiam contulerat; sed incohatum opus non absolvit. Nihil tamen obstat, quamvis sparsa sint alia in aliis libris, quominus in unum redigamus præcepta Koraïs, et inde perspiciamus quid de neohellenica lingua senserit. Τὰ Ἄτακτα enim atque οἱ Στοχασμοὶ αὐτοσχέδιοι quos editionibus Æliani et Isocratis et tomis aliquot *Vitarum parallerarum* Plutarchi præscripsit, tum aliæ præfationes, verbi gratia Heliodori, epistulæ denique summam eius opinionum facile cognoscendam præbent; nempe et quare ad linguam tractandam adductus fuerit, et quæ iudicaverit de grammatica et de lexico, et quam emendandæ linguæ viam suaserit ex his scriptis intellegere possumus.

Iam senectuti Koraïs appropinquabat cum de neohellenica dialecto sententiam divulgare ei visum est; quam in principio editionis Heliodori exposuit, eodem anno quo prior eius adversarius Dukas *Grammaticam Terpsitheam* emisit, et biennio post

editas Kodrikæ, adversarii posterioris, *de recentiore dialecto Observationes;* et inter causas cur linguam tractaverit præcipua est amor patriæ. Lutetiam enim advectus iam imminente gravissima illa rerum gallicarum commutatione quam nostri *Révolution française,* Græci autem γαλλικὴν ἐπανάστασιν dicunt, cum summum illum libertatis amorem quo primis annis memorandæ illius tempestatis flagrarent homines ipse vidisset, eo amarius deplorata miserabili Græciæ servitute, consilium cepit omni studio atque opere incumbere ut patria liberaretur; cumque id corpore efficere non posset, hoc sibi munus assumpsit, nempe ut scriptis Græcorum animos confirmaret civibusque ostenderet eos illustrium liberorumque Græcorum antiquitatis et stirpe et moribus et lingua genuinam esse progeniem. Alteram autem causam, et eam litterariam, habuit; cognito enim romaïcæ linguæ confuso statu, eam emendare, in hoc haud absimilis doctis illorum temporum viris, constituit.

Primo enim recentiorem linguam esse imperfectam arbitratur : « Nova enim est lingua, inquit, et ferme comparanda cum gallica qualis temporibus Montanii in usu erat; » et infra : « Pariter nostram linguam immutatione quadam nunc adfici intellegitur (1). » Deinde ægre fert eam præ vetere lingua contemni, magnum alendæ ignorantiæ adiumentum; at ipsa eius verba commemoremus : Ηὔξησε τὴν ἄγνοιαν ταύτην καὶ τῆς παλαιᾶς καὶ τῆς νέας ἡ ἐπικρατήσασα ἕως τώρα κακὴ καὶ διεστραμμένη συνήθεια νὰ καταφρονῶμεν τὴν νέαν... Καιρὸς εἶναι νὰ ἐλευθερωθῶμεν ἀπὸ ταύτην τὴν πρόληψιν (2). Denique summum esse periculum linguæ, nisi rectorem habeat prudentem, ne fiat penitus barbara existimat, de quo præsertim in epistulis sæpius agit. Linguam enim, ait, iniucundam efficit non tantum ἡ βαβυλωνικὴ σύγχυσις καὶ ἀνωμαλία τῆς συντάξεως μήτε ὁ ἄκρατος μακαρονισμός; alia autem causa est ἡ ἀκατάλληλος καὶ ἄτοπος θέσις καὶ συνύφανσις τῶν λέξεων (3). Et alibi : Δὲν εἶναι τόση ἡ ἐπιθυμία μου νὰ ἰδῶ τὴν γλῶσσαν ἑλληνίζουσαν ὅσος εἶναι ὁ φόβος μου μὴ βαρβαρωθῇ ἀκόμη περισσότερον ἀφ' ὅτι εἶναι βάρβαρος (4). Rursum : Ἡ ταλαίπωρος ἡμῶν γλῶσσα φέρει στίγματα τῆς δουλείας πολλά, τῶν ὁποίων ὁ ἀφανισμὸς χρειάζεται πολλῶν ἀνδρῶν

(1) *Lettres inédites de Coray à Chardon de la Rochette* (1790-1796). *Mémoire sur l'état actuel de la civilisation en Grèce*, p. 483.

(2) Præf. Heliodori; Sathas, *op. laud.*, p. 240. Cf. Ἀπάνθισμα δεύτερον ἐπιστολῶν Ἀδαμαντίου Κοραῆ, ep. 26.

(3) Ἀπάνθισμα ἐπιστολῶν Ἀδαμαντίου Κοραῆ, ep. ΜΓ.

(4) Ἀπάνθ., ep. ΝΒ.

συνδρομήν (1). Denique vulgari proverbio usus, ὡς τῆς τρελῆς τὰ μαλλία impexam esse linguam dicit (2), et in alia epistula subicit ita italismis gallismisque miseram dialectum circumsessam esse, ut quorsum evadat talis babelica confusio vix quisquam discernat (3).

Nec novator nec reformator est Koraïs; linguam enim effingere eiusque naturam aspectumque immutare non tentavit; sed simplicem eam et unam reddere, atque ad certas stabilesque leges revocare conatus est. Rationibus Christopuli et Dukæ duo contraria studia aperte significabantur; hi enim cupiebant linguam retro ad veteris speciem referre, illi sine lege eam sponte crescere patiebantur. Koraïs autem utramque sententiam argumentis impugnavit; *chydaïsmumque* et *macaronismum,* ut latine eius verba referam, eadem contentione ac pertinacia qua voces externas lacessivit, alterum velut rationi ordinique contrarium linguæque progressus in aleam casus committentem, alterum utpote inanem et symmetriam funditus disturbantem; illum quod in confusionem, hunc quod ultra confusionem in barbariam inferret. Num igitur ita censebat Koraïs ut lingua inordinata suo statu maneret? Immo et natura et voluntate progressum cupiebat; ita autem legibus regendos esse linguæ vulgaris processus existimabat ut ea ex perturbatione gradatim ad ordinem, nulla concessa deflexione, lenta quidem sed certissima via tenderet. Itaque ut quis Koraïm, quantum attinet ad sententiam eius de neohellenica dialecto, apto nomine designet, legislatoris nomine utatur. Ipsi enim adversarii nihil aliud ac legislatoris opus Koraïm tentare plane intellexerunt; id autem ipsum ægre ferentes ludibrio vertunt, dum ipse Koraïs, et operis sibi conscius, talem appellationem abnuit, quia linguæ, ut ait, tyrannidem aversantur, αἱ γλῶσσαι ἀποστρέφονται τὸν δεσποτισμόν (4).

Nec temere nec sine ordine esse procedendum ante omnia Koraïs docuit, et suo ipse præcepto semper est obsecutus. « Quam multi, inquit, se medicos esse profitentur hominesque sanare etiam ignoto morbo volunt (5)! » Ante igitur dialectum

(1) 'Απάνθ., ep. ΞΗ.
(2) 'Απάνθ., ep. Π.
(3) 'Απάνθ., ep. ΟΗ. Cf. Στοχ. αὐτοσχ. ad Ælianum, p. πστ.
(4) 'Απάνθ., ep. ϛΔ. Cf. Στοχ. αὐτοσχ. ad Plut. t. III; Sathas, *op. l.*, p. 262.
(5) 'Απάνθ., ep. ΞΓ. Cf. Στοχ. αὐτοσχ. ad Plut. t. III; Sathas, *op. l.*, p. 261 et 268.

recentiorem quam cures, scias necesse est an ægrotet et quo morbo adfecta sit. Ita autem, ut vidimus, Koraïs egit, et hoc quidem illius laudandum; remedium enim morbo cognito admovere poterat, quod iamdudum intellexerat quale esset, et suadere usque ad ultimum vitæ tempus perseveravit, quanquam obtrectationibus et calumniis adversarii non abstinebant. Lege enim quæ xv° anno huius sæculi gallice scripsit: « Comme si je n'avais pas assez de mon travail et de mes infirmités, une bande de fanatiques et de pédants m'a déclaré la guerre, et cherche à empoisonner le peu de jours qui me reste encore à vivre (¹). » Et reipsa non immerito Koraïs valetudinem queritur, et illi sane magnum fuit animi robur qui et dolore cruciatus tot opera edere et tam multas epistulas scribere potuerit. Libenter autem crediderim Koraïm parum commotum esse inimicorum conviciis; subicit enim in eadem epistula: « Mes ennemis ne sont ni nombreux ni puissants. » Iam supra dixerat nonnullos sibi esse amicos, et nominatim Alexandrum Basilii, a quibus semper defenderetur; immo iidem illi amici multo acrius Koraïs partes quam ipse Koraïs tuebantur, neque uti solebant temperamento seu laudabant magistrum seu adversarios eius increpabant.

Eicere autem penitus omnes voces externas, vitiosa verba vitiosasque verborum figuras collata vetere lingua emendare, grammaticam et lexicum conficere quibus regatur recentior dialectus, ea sanandæ linguæ, Koraïs sententia, remedia adhibenda sunt; sed paulatim esse agendum admonet, exspectandamque temporis medicinam.

II. — *De xenismis.*

Cum igitur ea esse debeat emendatio linguæ, ἡ διόρθωσις τῆς γλώσσης, quibus artibus Koraïs res singulas perficere cogitavit? Ante omnia, ut supra diximus, magnus est suscipiendus labor, quod primum officium emendatoris linguæ esse Koraïs existimat, nempe omnes dictiones verborumque complexiones externas, omnes *xenismos,* quo melius deinceps græco vocabulo utar, e vulgari lingua eicere pernecesse est (²). Facile quidem opus, si

(¹) *Lettres de Coray à M. Prévost de Genève,* in *Ann. de l'Assoc. pour l'encour. des Ét. grecques,* 1877, ep. VII, p. 205.
(²) Ἄτακτα, IV, p. η.

quis linguæ veteris peritissimus erit; est autem periculum ne simul cum lolio bonam herbam evellat; etenim multa vocabula quæ externa prima specie videntur, tamen vetere lingua oriunda sunt, εἶναι γεννήματα, ὀλίγον δύσμορφα, ἀλλ' ὅμως γεννήματα τῆς παλαιᾶς γλώσσης (1). Itaque summa prudentia in disquisitione opus est, et adeo gravem putat rem esse ut sæpius idem moneat. Exempli gratia in epistula quadam : Βέβαια, inquit, ὅσαι σήμερον εἰς τὴν γλῶσσάν μας δὲν εἶναι προφανῶς λέξεις τουρκικαὶ ἢ ἰταλικαὶ εἶναι ἑλληνικαί, καὶ ἂν δὲν εὑρίσκονται εἰς κανένα ἀπὸ τοὺς σωζομένους Ἕλληνας συγγραφεῖς ἢ ποιητάς (2). Rursus in Ἀτάκτοις : Ἀπὸ τὰς συνήθεις σημερινὰς λέξεις, ὅσαι δὲν εἶναι προφανῶς ξέναι δὲν ἐπλάσθησαν ἀπὸ μᾶς χθὲς ἢ προχθές, ἀλλ' ἀνάγονται ἐξάπαντος εἰς καμμίαν διάλεκτον τῆς παλαιᾶς (3). Quid est enim quod imitemur aliarum gentium syntaxin modosque dicendi (4)? Nonne lingua recentior nova novi populi lingua est, et filia et heres veteris illius qua utebantur maiores nostri (5)? Nonne eundem modum ratiocinandi ratiocinationesque exprimendi atque illi servavimus (6)? At enim multos usus xenismos comprobavit; immo maxime eos notare et in scribendo vitare vir doctus debet (7). « A vobis exspectat Græcia, ut ad Heptanesios scribit, ut lingua communi externas voces expellatis (8); » profecto enim etiamdum Ioniarum Insularum dialectus inter omnes maxime est italicis dictionibus permixta (9). Præterquam autem quod probam linguæ veteris intellegentiam necessariam esse denuntiat, peculiarem quandam xenismorum eiciendorum rationem Koraïs præcipit; ut enim putat, si colligentur ex omnibus urbibus regionibusque Græciæ et voces et orationis circuitus et varietates loquendi, uno verbo materia linguæ, ἡ ὕλη τῆς γλώσσης, procul dubio fiet ut externæ voces tollantur. Et hoc quidem omnibus votis expetendum; quid enim dignius in quo universa Græcorum natio erubescat, quam Zmyrnæum turcice rem nominare cum eandem

(1) Ἀπάνθ., ep. NB.
(2) Ἀπάνθ., ep. ϟΘ.
(3) Ἄτακτα, IV, p. στ; cf. II, p. κ.
(4) Ἀπάνθ., ep. OH.
(5) Ἄτακτα, IV, p. η.
(6) Ἀπάνθ. δεύτ., ep. 28.
(7) Ἀπάνθ., ep. OH.
(8) Ἀπάνθ., ep. ϟΣΤ.
(9) De quo vide G. G. Papadopuli Σχεδίασμα περὶ τῆς ἰταλικῆς ἐπιρροῆς ἐπὶ τὴν δημοτικὴν γλῶσσαν τῶν νεωτέρων Ἑλλήνων, in *Pandora*, t. XVII, p. 217, 245, 265.

vicinus Chius græce nuncupet, vel Corcyræum verbo italico uti, græca dictione in Peloponneso servata (1) ? Barbara autem ea mixtura non assignanda est populo, qui quibusdam in provinciis turcico aut italico verbo utitur quod græcam vocem ignorat; eadem tamen non caret lingua, ideoque populum consiliis iuvare oportet.

Sed non satis est externa verba expulisse; in eorum locum alia substituenda sunt. De quo obscurior quidem est Koraïs, neque aliud consilium dat, et illud sæpe, quam ut adhibeantur voces græcæ, seu ex vulgari dialecto, seu ex vetere lingua, seu e lingua medii ævi sumptæ, ea lege ut vim eandem habeant, et facile a vulgo intellegantur (2). Ceterum hæc eadem suadet, quod ad καλλωπισμόν et κανονισμόν recentioris dialecti spectat.

III. — *De chydaïsmo.*

Iuxta voces externas, id maxime depravat linguam quod illo tempore nomine χυδαϊσμοῦ vocabatur. Quis est autem chydaïsmus? Non solum Koraïs, sed etiam ii adversariorum qui linguæ veteris usum restituere tentabant hoc verbo significant rusticam loquendi consuetudinem qua utitur vulgus, id est usum dialecti quam nulla lege teneri et anomalis barbarisque verbis dictionibusque temere vitiatis ac sinceræ linguæ contrariis refertam esse arbitrantur. Principium autem chydaïsmi, Koraïs sententia, vis est vocabulorum male intellecta: Διὰ ταύτην τῆς ἀξίας τὴν ἄγνοιαν . . . χυδαΐζουν οἱ χυδαΐζοντες, additque μακαρονίζουν καὶ οἱ μακαρονίζοντες (3). At vulgari vulgi dialecto nihil iucundi componi potest; quod si quis omnes libros romaïce conscriptos inspexerit, vix decimum quemque reperiet sine tædio fastidioque evolvendum. Nec sane mirum: quippe scriptores, ut ipsa Koraïs verba referamus, δὲν ἐμελέτησάν ποτε τὴν γλῶσσαν μέχρι πόσου εἶναι δεκτικὴ ἑλληνισμοῦ (4). Itaque adversus chydaïsmum nihil aliud atque τὸν ἐξελληνισμόν linguæ recentioris suadet, ad quem efficiendum una via est scientia veteris linguæ. Quid sibi velit

(1) Στοχασμ. αὐτοσχ. ad Plutarchi t. III; Sathas, *op. l.*, p. 267.
(2) Ἄτακτα, IV, p. η; cf. Ἀπάνθ., ep. IZ.
(3) Ἀπάνθ., ep. ΞΓ.
(4) Ἀπάνθ., ep. NB.

hoc verbum ἐξελληνισμός infra videbimus. Verum multa cogitatione opus est; etenim non agitur ut semel omne rusticitatis vestigium deleatur, quod fieri non potest; cum enim linguæ geometrice non sint constitutæ, non possunt anomalias quasdam non retinere (1). Primo igitur manifestiora vitia tollantur; facto initio cetera evertet vetustas. Immo quamvis chydaïsmus valde sit impugnandus, non continuo radicitus exstirpandus est; namque hoc quidem propositum, νὰ γράφῃ καθὼς μιλεῖ, καὶ νὰ μὴ γυρεύει νὰ σιάσῃ τὴν γλῶσσαν ὅπου ἔλαβεν ἀπὸ τοὺς γονιούς του (2), bonæ linguæ prorsus repugnat; si vero diligentius inspicies, in multis rusticorum proverbiis maiorem animadvertes græcitatem quam in reliquo sermone (3), et in hodierna lingua cum multas sine dubio corruptas voces reperias, aliæ tamen multæ insunt quas tanquam barbaras exterminare quidam velint, linguæ naturam male cognoscentes; has autem servare, illas ad græcam speciem revocare oportet, et ea est linguæ emendatio (4).

Quid ergo inde sequitur? Natura quidem viri docti sunt linguæ legislatores, eorumque propria est linguæ emendatio; lingua autem res est totius populi, eaque sacra (5). Quisnam igitur ut iudex statuet ut expellantur rusticana verba, et pro expulsis veteris linguæ verba subiciantur? Nam quod scribitur scribitur omnibus, idque primum est auctoris officium, ut nempe sui intellectum faciat neque utatur verbis quæ vulgus intellegere non possit. Optime, inquies; cum igitur scribamus ut vulgus, id est ignarus quisque, intellegat, age descendamus ad humilem eorum intellectum. At simul vulgus, facta vice, ad scientiam doctorum ascendere conetur (6). Hoc autem adeo sibi Koraïs persuaserat ut eam sententiam, primum in præfatione Heliodori expositam, sæpissime iteraverit; atque ab illa opinione, ut iam apparebit, quæcumque de emendanda lingua consilia tradit oriuntur. Paulo enim post editum Heliodorum cum unus ex amicis idemque unus e vehementioribus eius discipulis Alexander Basilii hæc illi scripsisset: « Nos quidem non debemus tyranni violatoresque esse communis dialecti, neque autem

(1) Ἀπάνθ., ep. ΜΑ.
(2) Ἀπάνθ., ep. ΙΘ.
(3) Ἀπάνθ., ep. Ο.
(4) Præf. Heliod.; Sathas, *op. l.*, p. 238.
(5) *Ibid., ibid.*, p. 247.
(6) *Ibid., ibid.*, p. 246.

bárbara consuetudo nobis imperare debet, » ita respondet Koraïs : « Ex his quæ scripsisti auguror tibi pergratum fore procemium Heliodori, ex quo intelleges illud mihi fuisse principium opinionum quas de lingua vulgari extulerim : Μήτε τύραννοι τῶν χυδαίων, μήτε πάλιν δοῦλοι τῆς χυδαιότητος αὐτῶν (¹). » Nihil in hoc præter verba sententiæ supra commemoratæ dissimile; nempe huius præcepti parte altera Koraïs docet nonnunquam opus esse instituto suo ita decere ut retineantur in lingua voces quæ nondum emendari possint, nedum insolitæ dictiones ac leges vulgo imponantur; altera auctor est ne quid deterreat ab emendatione, si ullo modo fieri possit atque utilitati esse videatur. Porro apertius in alia epistula : « Multi, inquit, asseverant loquendum scribendumque esse sicut scribant ac loquantur baiuli atque utrarii ; multum autem abest ut ita censeam ; » tum adiungit : Ἂν ὁ σπουδαῖος ἔχῃ χρέος νὰ συγκαταβαίνῃ εἰς τὸ μέτρον τῆς καταλήψεως τοῦ ξυλοφόρου, οὕτω καὶ ὁ ξυλοφόρος πρέπει νὰ προθυμῆται νὰ ἀναβαίνῃ καὶ αὐτὸς ὀλίγον εἰς τὸ νὰ καταλαμβάνῃ τὰ λεγόμενα ἢ τὰ γραφόμενα ἀπὸ τὸν σπουδαῖον, καὶ τοιουτοτρόπως νὰ συναπαντηθῶσι καὶ οἱ δύο εἰς τὸ μέσον τῆς κλίμακος (²). Alium denique locum referre non vereor, e Στοχασμοῖς αὐτοσχεδίοις sumptum; ita enim ferme in editione Isocratis : « Ne adhibeas, inquit, linguam ab ineruditorum intellegentia remotam neque contra illorum gratia adeo chydæa utaris dialecto ut viris doctis qui, sint pauci licet, non continuo sunt despiciendi. fastidium adferas (³). » Koraï ergo facienda compositio quædam inter eruditos et vulgus videtur. Sit enim semper lingua publici iuris, quia nemo vulgus cogere potest ut assuetum loquendi morem omittat ; at contra vulgus a viris doctis publicæ utilitati servientibus se regi patiatur, et emendari depravatas voces, et in suam dialectum introduci verba utilia quæ mere græca sint ; ne multa rem suam vulgus viris patriæ amantissimis qui eam venustiorem iucundioremque efficere, nedum auferre velint, bono animo committat. Cum autem nec vulgi rusticitati adulari oporteat, nec multum aberrare a verbis quæ a puero audire assueverit, Koraïs concludit mediam inter

(¹) Ἀπάνθ. δεύτ., ep. 26.
(²) Ἀπάνθ., ep. NB ; cf. Ἐθνικὸν Ἡμερολόγιον Marini P. Vreti, 1867, p. 204 ; Ἄτακτα, II, p. κη.
(³) Στοχ. αὐτοσχ. ad Isocr., p. ιζ-ιη.

rusticitatem et veteris græcitatis imitationem, id est macaronismum, viam tenendam esse (1).

Nec difficile est hanc viam tenere; nihil autem præmature agendum, et primæ verborum mutationes eæ esse debent quas vulgus non miretur (2). Idcirco dictionem usitatissimam sine necessitate repellere aut commutare non decet; necessariaque commutatio ita fiat ut nova dictionis species quam maxime eundem referat sensum quem prior præbuerit (3). Quod si verbum ex vetere lingua sumendum est quod locum teneat expulsæ cuiusdam vocis externæ, aut notionem quandam, deficiente communi linguæ proprio vocabulo, exprimat, e synonymis duobus illud est eligendum quod speres aut suspiceris fore ut ab inerudito facilius intellegatur (4). Attamen dubitatio absit cum de revocando vocabulo vetere agitur cuius speciem adulteratam vox vulgaris refert, idemque modo aliquot litteris mutatis renasci potest. Exempli gratia nihil obstat quin in veterem figuram restituantur verba barbare desinentia ut συνάζω, φράζω, φυλάζω, namque συνάγω, φράσσω, φυλάσσω intellectu carere non videbuntur (5). Libere igitur corruptam recentioris dialecti vocem in puriorem veteris figuram convertere, atque etiam prisca vocabula, minus usitata licet, in cotidianam consuetudinem inducere potes. Cum autem de infinitivo et de dativo cogitat, quorum usus omnino obsolevit, et hoc quidem grave inter veterem linguam romaïcamque dialectum discrimen interest, in magna dubitatione Koraïs versatur; cui quidem eæ formæ desiderio sunt, videntur autem omnes veteris linguæ leges in recentiore non posse servari (6); irrevocabilem enim dativum putat (7); quod ad infinitivum, cuius interitum fœdissimam linguæ rusticitatem, τὴν φρικτοτέραν χυδαιότητα esse dicit, ecquis vulgus cogere ausit ut rursus eo utatur? Ausit porro aliquis: num vero sperandum sit fore ut ei vulgus obtemperet? Immo vero paulatim linguæ emendantur (8). Alibi tamen, in Ἀτάκτοις, credere videtur Koraïs infinitivum aliquando in consuetudinem

(1) Ἀπάνθ., ep. ΙΙ.
(2) Ἄτακτα, IV, p. ι.
(3) Ἀπάνθ., ep. ΙΖ.
(4) Ἀπάνθ., ep. ΞΗ.
(5) Ἄτακτα, IV, p. η.
(6) Ἀπάνθ., ep. ΝΒ.
(7) Ἀπάνθ., ep. ΙΙ.
(8) Ἀπάνθ., ep. ϞΔ.

revocari posse : Τὸ ἀπαρέμφατον, inquit, κατεπλακώθη μᾶλλον καὶ ἐπνίχθη, ὄχι χωρὶς ἐλπίδα νὰ ἀνασταθῇ πάλιν μὲ τὸν καιρόν (¹).

IV. — *De macaronismo.*

Quanquam abhorret a chydaïsmo, non tamen adeo vehementer eum Koraïs impugnat; ut enim ad id barbariæ lingua prolapsa sit tantum temporum iniquitas et longa nationis græcæ servitus effecerunt. Alii vero inimico infensissimus est, qui sine ulla intermissione est urgendus, et vere similis monstro homerico,

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

Is est macaronismus. Nobis quidem macaronica poesis quæ sit nulla est ambiguitas; quo nomine designamus iocularium quoddam poesis genus in quo latinæ terminationes vocibus linguæ communis scurriliter aptatæ fuerunt (²). Erret autem longe si quis putet simile aliquid in lingua græca esse. Haud difficile crediderim ipsum Koraïm, qui primus ad linguam græcam verbum transtulit, parum intellexisse quid significaret. Ex his enim omnibus quæ hac de re scripsit, et sæpissime quidem disseruit, iudicare licet in hoc illi habitum fuisse macaronismum si quis vocabulis priscis vulgares voces intersereret; quod in Στοχασμοῖς αὐτοσχεδίοις apertius explanat. « Is est, ait, macaronismus, cum exempli gratia in una eademque pagina vel periodo simul occurrunt turcica vocabula ut ἄχ, ὤχ, vel italica ut μά, vel rusticana ut διὰ τί pro διότι, πῶς pro ὅτι, intermixta dictionibus græcis ut κρείττων, ἀνέχομαι, ἐνδόμυχος atque huiusmodi ceteris, quarum unam vix unus e sescentis ineruditis intellegat(³). » Dukas autem, cuius opiniones iam explicabimus, macaronismum nihil aliud esse adfirmat quam progressum ad pristinam veteris linguæ elegantiam; nec mirum est si a Koraï dissentit. Adeo autem Koraïs non prohibet exornationem emendationemque linguæ ut ipse e vetere lingua multa hauriat; id vero vetat, ne in recentiorem dialectum prisca inducantur vocabula hoc ipso quod prisca sint; namque emendatores linguæ accurate diiudicare debent naturalia

(¹) Ἄτακτα, I, p. 158.
(²) V. Littré *Dictionn.*, s. v. : Poésie burlesque dans laquelle on affuble de terminaisons latines les mots de la langue vulgaire.
(³) Στοχ. αὐτοσχ. ad Ælian., p. 40.

dialecti ornamenta quæ eam venustiorem reddant, a ficticiis illis quæ sumpta licet e vetere lingua eam deturpent potius, quin etiam inopem efficiant ([1]).

Præcipue in præfatione Heliodori eam Koraïs opinionem explicat, atque, ut putat, macaronismi inanitatem coarguit ([2]). « Qui sumus filii Græcorum veterum, dicit contemptor vulgaris dialecti, linguam maiorum restituere debemus. » In quam adversariorum sententiam Koraïs inclementer invectus non parcit reprehensionibus. « Qui vetere lingua scribunt, inquit, nihil aliud ac gloriosi sunt, cupientes se callidos haberi, nec vulgari sermone uti audentes quod hominum iudicium reformident, et nostra ætate iam non sit iustus veteris linguæ æstimator. » Tum illos in duo genera distribuit : quorum alteri haud ignari quid et quomodo scribant, tacite admiratorum stultitiam derident; alteri adeo sunt insulsi ut temere fidem habeant laudatoribus; in quos haud malignus quidem, namque in Koraïm non cecidit unquam malignitas, severus autem atque incivilis hunc versum gallici poetæ confert :

Un sot trouve toujours un plus sot qui l'admire.

Inde iræ; nec quidem immerito illi irascebantur; multi enim erant qui ad veteris linguæ speciem vulgarem dialectum revocare vellent, quos inter singularis ingenii viri, patriæque amore et doctrina et virtute minime Koraï impares, quique nihil aliud peccarent quam quod adversam rationem sequerentur. Sane quidem non reprehendendus est Koraïs quasi præter modum acerbus esse, et potius homines quam eorum disciplinas insequi solitus esset; eius autem adversarii, verba quædam ægre patientes, se peti existimare iure poterant, cum unicuique, nemine vellicato nominatim, ea de se dicta accipere liceret. Quid igitur mirum si paulatim irritatis odiis ad id acerbitatis crevit certamen ut alii aliis non nisi inurbanissimis opprobriis responderent?

Cetera tamen quæ insunt in procemio Heliodori acerbis verbis non scripta sunt. Koraïs commonstrare tentat lingua vetere scriptores non solum non debere sed etiam non posse uti. « Qui

([1]) Ἄτακτα, IV, p. ζ-η.
([2]) Sathas, *op. laud.*, p. 238 sq.

scribit, inquit, vetere lingua (ἑλληνίζοντα eum appellat), ille necessario oblivione obruetur. » Hanc autem sententiam, quæcumque est, minus recte confirmat; omisso enim solito argumentandi more tergiversatur; ita scilicet probat : « Quomodo fieri potest ut scriptor ille qui lingua vetere utatur in memoria hominum permaneat? Utrum enim librorum iucunditate? At progrediente ætate eadem alii iucundius perfectiusque scribent. An stili elegantia? At quis adeo insanus Homerum Platonemque et tot mirandos scriptores relinquat ut novum illum græcum auctorem legat? »

Rectius vero Koraïs iudicat susceptamque personam gerit cum illos inaniter eniti ostendit, qui ad excellentem linguæ veteris speciem pervenire velint? « Postquam, ait, Sisyphium sudorem exsudaverunt, qua lingua ad summum utuntur miseri? Num Platonis lingua et Xenophontis? Minime. Num Polybii et Diodori? Minime vero. Plutarchi ergo et Galeni? Ne illa quidem. At saltem Heliodori et Juliani et Libanii? Immo omnes simul has linguas usurpant, potius dicerem mixturam horridam, informem, portentosam. Non quod parvo labore opus sit ut quis neohellenica dialecto scribat; sed utique multo minus ille laborabit quam qui linguam veterem imitatur, et profecto rei feliciter gerendæ spes est maior (1). »

Attamen aliud scriptorum est genus, et illi quidem vere sunt macaronistæ, quos Koraïs ab aliis nomine μιξελληνιζόντων vel μιξοβαρβάρων discernit. Ii enim, quanquam eorum propositum non ita reprehendendum est, romaïcam enim linguam quam proxime ad veterem retrahere nituntur, nihil aliud, græcitate rusticitati admixta, quam veterem sermonem depravant recentioremque corrumpunt; quorum oratio obscura et aspera et iniucunda, quin etiam portentosa (qua voce libentissime Koraïs utitur), atque hermaphrodito similis est.

Scripta hac longa præfatione, qua ferme tota impugnantur qui veteris linguæ venustatem adfectabant, Koraïs videtur minus curavisse macaronismum, nec tamen, ut verisimile est, se prorsus esse victorem putavit. Ceterum eius amici, suscepta causa, sic inceptum certamen longius produxerunt. Ipse autem in editione Æliani de macaronismo non disserit nisi quod vim vocabuli explanat; nec plura in epistulis ceterisque scriptis

(1) Sathas, *op. laud.*, p. 243, n. 2.

loquitur. Postea bis tantum rem apertius tangit et tamen paucis. In præfatione enim Isocratis, dum de arte dicendi scribit, macaronismum vituperat ut omnibus non minus erudito homini quam illitterato molestum, quod ne verbum quidem hic intellegat, ille ægre patiatur ita fastidiose copulari linguas atque a ridicula commixtione abhorreat (1). Acrius denique loquitur cum primum edita est ephemeris Hermes Logius anno MDCCCXI°; datis enim quibusdam consiliis : « Macaronismum, inquit, ignoratio linguæ genuit; isti enim ad linguam veterem confugiunt, non quod eius sint callidiores, sed quia suam imperitiam ab oculis imperitiorum sic tutius avertunt; et rude vulgus quo minus eos intellegit eo laxius inhiat promptiusque plaudit :

Εὖ, νὴ τὸν Ἑρμῆν, ὅ τι λέγεις οὐ μανθάνω (2). »

Ex his omnibus quæ supra exposuimus Koraïs ratio clarissime perspicitur; et ea tribus complectitur sententiis : 1° Lingua vulgaris sola est nationis Græcæ lingua; 2° Cum autem corrupta sit, emendanda est atque ad puriorem speciem revocanda; 3° Eam vero emendaveris si xenismos expuleris, et chydaïsmum, sumpta e vetere lingua correctione apta, correxeris, et præsertim eieceris barbaram istam dialectorum colluvionem, id est macaronismum.

Cum ita constet summa disciplinæ, de dictionario et de grammatica Koraïs præcepta tradit.

V. — *De dictionario.*

Magnopere Koraïs petiit ut conscriberetur dictionarium. Hæc enim eius verba Hermes Logius commemorat : Ἐπεθύμησα πολλάκις, λέγει ὁ Κοραῆς (Προλεγόμ. Ξενοκρ., κα´), καὶ μὲ βασανιζομένου δεήσεις ἐζήτησα ἀπὸ τοὺς ὁμογενεῖς νὰ φροντίσωσι τὴν συνάθροισιν καὶ εἰς λεξικὸν καταχώρισιν ὅλων τῆς κοινῆς ἡμῶν γλώσσης τῶν λέξεων (3). Sua autem ætate arbitratur, qui dictionarium componere aptum perfectumque tentet, eum ficos hieme quærentis similem esse, nondum enim esse tempus (4) ; nec tamen eam esse causam cur

(1) Στοχ. αὐτοσχ. ad Isocr., p. ιζ.
(2) Sathas, *op. laud.*, p. 268.
(3) *Herm. Log.*, 1821, p. 163.
(4) Ἀπάνθ., ep. ΟΣΤ. Cf. Στοχ. αὐτοσχ. ad Plut. t. I, p. κη.

non suscipiatur opus, urgere enim necessitatem. Unum vero in præsenti fieri oportere, cum desint adhuc scribendi artifices quorum ex operibus puræ linguæ canones sumantur, ut nempe in omnibus urbibus provinciisque Græciæ verba et verborum complexus, id est materia linguæ, colligantur; illud enim natura consequi ut evanescant externæ voces, et omnibus verborum vis sit manifesta, novaque vocabula non fingantur, denique linguæ veteris studium facilius fiat; primum enim librum nationis dictionarium esse (1). Jam tamen antea glossaria composita fuerant, doctique quidam ad id impenderant operam. Sæculo enim XVI° Græcus quidam Alexander Nerulis lexicum condidit quod ineditum in bibliotheca Taurinensi asservatur (2); postea Simo Portius, et Gerasimus Vlachus Cres, deinde Georgius Constantini et Vendotis et alii in glossariis conscribendis elaboraverunt. Sed quis illa opera, haud spernenda quidem, vere esse linguæ neohellenicæ dictionaria existimet, quæ δίγλωσσα, τρίγλωσσα atque etiam τετράγλωσσα, ut ferunt tituli, mendosa essent nullamque ferme utilitatem præberent? Nec immerito Koraïs: « Bono adhuc, aiebat, dictionario caremus (3). » Nec sane maiori erant utilitati ea glossaria a doctis Europæ viris quos inter Cangius et Meursius eminent ingenti labore composita, quæ tantum, ut ipsi auctores voluerunt, ad scientiam eruditorum occidentis illustrandam voces græcobarbaras latine interpretabantur. Tale autem lexicum Koraïs expetebat in quo romaïce explanarentur romaïcæ voces, et simul ea occurreret quam vocat φρασεολογίαν, ita ut exemplis a communi consuetudine sumptis, quia non exstarent boni auctores, expenderetur vis singulorum verborum et comprobaretur; ne multa, simile aliquid dictionario ab Academia gallica composito, quo perfectius nullum esse iudicabat (4). Cum autem nondum collecta esset materia, initio hoc tantum petit, ut nudus verborum catalogus instruatur (5).

Quibus artibus opus conficiatur Koraïs in proœmio primi tomi editionis Plutarchi, rebus ne minimis quidem neglectis, accuratius ostendit. Ut dialecti recentioris, inquit, dictionarium conscribatur, multorum doctorum opus, sumenda est materia e

(1) Στοχ. αὐτοσχ. ad Plut. t. III; Sathas, *op. laud.*, p. 265 sq.
(2) De quo Chiotis in *Pandora*, t. XI, p. 407.
(3) Στοχ. αὐτοσχ. ad Plut. t. I; Sathas, *op. laud.*, p. 256.
(4) Plut. I, p. ιδ. Dictionarium rursus Academia ediderat anno 1798.
(5) Plut. I, p. ιστ in notula.

quattuor præcipue fontibus, et ii sunt: glossaria ante edita; byzantini scriptores; libri romaïce scripti et editi post captam a Turcis Constantinopolim; denique scripturæ sanctæ et novæ et veteres (1). Præterea necesse est duo iuvenes docti totam Græciam tum Europæam tum Asiaticam et insulas alter ab altero diversus percurrant, habeantque secum suum quisque glossarium in quo alterna quæque pagina vacet litteris, ut notent quæcumque absint, nec solum verba, sed etiam, omni rusticitate purgata, verborum continuationes, quibus deficientibus bonum esse dictionarium non potest, et proverbia, in quibus vulgi philosophia deprehenditur (2). Ipse Koraïs satis amplam proverbiorum copiam se excerpsisse in epistula quadam dicit (3); ac simul non in dictionario componendo, solum enim, ut videtur, præcepta tradere voluit, sed in materia dictionarii colligenda laborabat; alioqui eius amicus Anthimus Ghazis iam inceperat opus, de quo summa concipiebat (4); sed quanquam multa collegit, pars tantum, ceteris ineditis, in Ἀτάκτοις prolata est, titulum ferens Γλωσσογραφικῆς ὕλης δοκίμιον. Nec tamen satis habuit suadere ut congregarentur omnia vocabula ex quibus conflari bona lingua deberet; tanto autem fuit ingenio ut e variis romaïcæ linguæ dialectis velut e copioso fonte multas idoneas dictiones hauriri posse perspexerit; itaque impellit ut omnia verba dialectorum propria, quamvis earum numerum et geographicos fines determinare difficile esse putet, colligantur; et quanquam unius vires labor excedit, paulatim tamen perfici potest; quem primi suscipere debent, eius sententia, editores Hermæ Logii, hortarique singularum Græciæ partium eruditos ut sibi mittant verborum catalogos, qui litterarum ordine in fasciculo quoque imprimantur; sic enim cogetur optimi neohellenicæ linguæ dictionarii materia, et simul linguæ veteris scientia perfectior fiet (5).

Hic addere mihi videtur, ut hac de re deinceps sileam, illud Koraïs consilium socordius acceptum fuisse, et immerito quidem; illis enim temporibus multo diversiores inter se dialecti erant quam ætate nostra, et verisimile est multa fuisse in unaquaque

(1) Plut. I, p. ιϛ sq.
(2) Plut. I, p. κθ sq.
(3) Ἀπάνθ., ep. O.
(4) Στοχ. αὐτοσχ. ad Plut. t. I; Sathas, *op. laud.* p. 255. Dictionarium Ghazis, Λεξικὸν ἑλληνικόν, Venetiis, 1809-16, tomos tres complectitur, et inter optima adnumerandum est.
(5) Ἀπάνθ., ep. ϟΔ.

notatione digna; nunc contra neohellenica lingua ad planitatem, ut ita dicam, sensim tendit, quæ fortasse nunquam fiet perfecta, qua tamen deprimuntur quæcumque peculiaria in dialectis supereminent, et quasi ad amussim communis linguæ in dies æquantur. Intereunt enim quæ a vulgari consuetudine loquendi sunt differentia, et voces dialectorum vernaculæ obsolescunt, nec manent in usu quia non iam intelleguntur; atque haud scio an posterius operæ pretium futurum sit in Græciæ provincias iter facere, ad discendas ab ipsis indigenis dialectos. Attamen nostro tempore Græci haud inutile esse viderunt recentioris linguæ dialectis dare studium, et iam circiter tricesimum annum satis diligenter verba et verborum complexus, proverbia quoque populariaque carmina omnium locorum Græciæ colligere nituntur; quanquam nostra memoria diligentia illa aliquantulum languescit, et studium huiusmodi minus in honore est, ex quo defuerunt ephemerides quæ glossaria ederent; excepto quod *Syllogi* quidam, ut *Constantinopolitanus Syllogus,* nuperrime Koraïs consilium secuti, laudanda cura in illum laborem rursus incubuerunt.

VI. — *De grammatica.*

Quæ sit grammatica ita Koraïs definit : Ἡ γραμματικὴ ἄλλο δὲν εἶναι εἰ μὴ συλλογὴ τῶν κανόνων κατὰ τοὺς ὁποίους γράφει ἢ λαλεῖ, εἰς περίοδον χρόνου τινὰ διωρισμένην, τὸ πλέον πεπαιδευμένον μέρος τοῦ ἔθνους (¹). Persuasum habet non nisi senescentibus linguis fieri posse grammaticas; ubi enim primum leges linguæ violari vel neglegi solent, grammatica quasi vallum aut agger adversus diluvium barbariæ exstruitur (²). Propterea gallice amico viro Chardon de la Rochette scribit : « Il est extrêmement difficile à un Grec moderne même de faire une grammaire de notre langue, c'est-à-dire d'une langue qui est encore dans le berceau, et qui vraisemblablement y restera encore longtemps (³). »

Hic vero pauca interponere mihi liceat. Ut censeo equidem Koraïs magnopere fallitur. Quo enim tempore grammaticam conficere opportunum est? Profecto quidem non negaverim vacillanti linguæ canones esse necessarios, ne prorsus cadat; sed

(¹) Στοχ. αὐτοσχ. ad Ælian., p. ιγ.
(²) *Ibid.*, p. ιδ.
(³) *Lettres inédites de Coray à Chardon de la Rochelle*, ep. 82.

lingua quæ viget in dies mutatur, nec mutationem canones cohibent, quia lingua immobilis esse non potest, atque, ut dixit Varro, « consuetudo loquendi est in motu (1); » cumque iam prope est ut depravetur aut intereat, nullam moram grammatica obicit. Quid vero, cum lingua nascitur, id est a communi loquendi consuetudine in instrumentum litterarium studiorumque ministram transit? Grammaticam, ut ipse Koraïs in epistula quadam dixit, optimorum scriptorum opera in se habent (2); et recte quidem, quod boni maxime scriptores bonam linguam instituunt; etenim, ut infra addidit, oriuntur grammaticæ ex observatione et collectione eorum quæ a bonis scriptoribus probe dicta et apte constructa sunt. Quis autem tantum senescente lingua bonos esse scriptores dicat? Immo in disceptationem hoc venire non potest. At enim illo maxime tempore, cum iam boni scriptores non sunt, ad id ipsum grammaticæ conscribuntur, quo facilius deprehendantur intelleganturque leges quibus usi fuerint. Ergo tales grammaticæ ad præteritam, non ad præsentem linguam spectant. Linguæ igitur cuiusvis grammatica tum con ditur cum optimi pro tempore auctores scribunt; utuntur enim sermone, qui in communi usu est, quam perfectissimo, et leges quas illi observaverunt grammatica quasi thesaurus custodit; deinceps ad has leges flectitur recta scribendi ac loquendi consuetudo, donec e novo usu novi canones oriuntur quos pariter in grammaticas referre oportet.

Hoc autem mirum est, ipsum Koraïm, ut videtur, non omnino sibi consentaneum fuisse, qui diu in grammatica romaïcæ dialecti conscribenda laboraverit; cuius mentionem in epistulis facit (3), quæque, fortasse quia in impedimenta circa impressionem vel editionis impensam incurrit, non exiit, vel non fuit absoluta. Paucis autem annis ante mortem, unam grammaticam idoneam esse iudicabat; anno enim MDCCCXXX° Neophyto Vamvæ scribit : « Tua grammatica primum locum in Græcia obtinet, atque indubitate in scholas recipienda est, velint nolint qui ineptia vel malignitate impediunt quominus recipiatur (4). » Nihilominus et alii ex eius discipulis grammaticas antea scrip-

(1) *De lingua latina,* IX, 11, ed. Spengel.
(2) 'Απάνθ., ep. ΟΗ; cf. ep. ΞΒ, et Στοχ. αὐτοσχ. ad Ælian., p. οζ.
(3) *Lettres de Coray au Protopsalte de Smyrne,* ep. XV, p. 72; XVIII, p. 122; *Lettres inédites à Chardon de la Rochette,* ep. 119.
(4) 'Απάνθ. δεύτ., ep. 46.

serant, ut Darvaris et Chrysocephalus, quem quidem admonet ut grammaticam « grammaticam » inscribat, non *Terpsinoum;* quia « istiusmodi titulis, ut per ludibrium Dukæ *Grammaticæ Terpsitheæ* alludens dicit, soli præstigiatores utuntur (1). »

Qualis fuerit grammatica disciplina Koraïs pervidere satis difficile est. Fusius quidem in Στοχασμοῖς αὐτοσχεδίοις de vitiis disserit quæ in omnibus eius temporis grammaticis reperiuntur; tantum autem de grammaticis veteris linguæ agit (2). Eius epistulæ, in quibus aliquot locos e grammatica tractat (3), uberes adnotationes quibus plerasque editiones exornat, denique τὰ Ἄτακτα, in quibus ferme omnes quæstiones, quæ de neohellenica dialecto oriri possunt, leviter attingit et nonnunquam explanat, quanquam amplam investigandi copiam suppeditant, tamen non sufficiunt ut eius grammaticam rationem cognoscamus. Quid enim, si peculiariter τὰ Ἄτακτα, quæ locupletiorem materiam præbent, considerabimus? Permulta verba variasque eorum formas et constructiones, adiecta interdum emendatione, et collatis latinæ recentiorumque linguarum dictionibus, interpretatur et explicat; unde verba sint ducta in vetere lingua eiusque dialectis exquirit; et raro relinquit verbum quin eius originem et diversos sensus et mutationes enucleaverit; et quamvis quandoque erret et licentiores etymologias proponat, tamen boni aliquid superest. Quæ autem proprie grammaticæ quæstiones dicuntur, eas Koraïs vix tractat; at potius linguæ historiam evolvere, materiamque dictionarii congerere nititur; cumque verisimiliter grammaticas leges aliis chartis collegisset, eius Ἄτακτα editionesque nihil aliud quam tenues quasdam grammaticæ artis particulas et latiores de universa lingua sententias exhibent. Ex aliquot exemplis videbimus non quomodo Koraïs sententia conscribenda esset grammatica, sed quomodo in proba grammatica formæ linguæ recentioris explicandæ atque adhibendæ essent; at simul ex iisdem minus feliciter interdum Koraïs dixisse videbitur, quanquam quod ad originem maxime verborum romaïcorum pertinet non solet errare. Putat enim vulgarem nominativum ut πατέρας, βασιλέας nihil aliud esse quam priscum pluralem accusativum (4); is autem legitime a singulari

(1) Ἀπάνθ. δεύτ., ep. 29.
(2) V. præfat. Æliani.
(3) Ἀπάνθ., ep. ΜΓ, ΠΘ; Ἀπάνθ. δεύτ., passim in epistulis ad Alex. Basilii missis.
(4) Ἄτακτα, I, p. 87, 263.

accusativo, ut nominativus femininus, inclinatus est, nempe in romaïca dialecto haud secus atque in romanis linguis accusativus singularis tertiæ declinationis pro nominativo usurpatus est, ut πατέρα, μητέρα, tum in πατέρα ceteraque huiusmodi nomina signo masculini ς addito πατέρας factum est.

Usum accusativi vulgaris cum verbis quæ in lingua vetere dativum exigebant, ut σὲ λέγω, ellipsi εἰς præpositionis illustrat; pariter subauditur ἕνεκα cum genetivo verbum coniungitur (¹). Constat autem eum errorem esse.

Quod ad verba, non ausus est Koraïs in locum rusticani λέγουν græcum λέγουσι subdere, quod λέγουν necessarium esset fastidii vitandi causa cum in ουσι desinentia in eadem periodo plura occurrerent (²). An igitur tum λέγουν, tum λέγουσι scribendum est? Macaronismum vero non vitabis.

Illi magis placuit verba in vulgari lingua incrementum non pati (³).

Ultimum hoc adfero, ne longum fiat, passivam formam ιοῦμαι verborum περισπωμένων a Koraï non satis intellectam fuisse, qui in verbo πουλιοῦνται barbaram epenthesin litteræ ι inesse et πουλιέται per translationem a πουλεῖται declinavisse crediderit (⁴). De quibus equidem iam docui ι litteram nihil aliud esse nisi primigenium ε quod ante vocalem, ut leges linguæ vulgaris postulant, ι factum est (V. *Etude du dialecte chypriote moderne et médiéval*, p. 90).

Koraïs autem tam magni sermonem patrium æstimabat, ut adfirmare, et quidem pluries, linguam latinam græcæ dialectum esse non veritus sit (⁵); nec tamen indignus venia, quia illo tempore linguarum studium minus processerat. Ceterum quibus erroribus lapsus est, ii nec graves nec admodum frequentes sunt, et in magno præstantique opere « non ego paucis offendar maculis ». Nihilominus laudandus est quod etymologicen perfectissimum esse linguæ emendandæ instrumentum sensit, quo maxime adhibito nisus est expellere chydaïsmum, ἀνακαλύπτων τὰ γενέθλιά του (⁶); quod autem non solum græcæ linguæ, sed etiam nonnullarum Europæ linguarum peritus erat, eo certius scrutabatur,

(¹) Ἄτακτα, I, p. 108-109.
(²) Ἀπάνθ., ep. ΟΒ.
(³) *Herm. Log.*, 1811, p. 129, in epist. Alex. Basilii.
(⁴) Ἄτακτα, I, p. 245.
(⁵) Ex. grat. in Ἀτάκτοις, I, p. 48. Cf. Στοχ. αὐτ. ad Plut. t. I; Sathas, *op. laud.*, p. 256.
(⁶) Ἀπάνθ., ep. ϞΔ.

et reipsa probabilem vulgarium verborum originem plerumque patefecit.

Non latuit Koraïm necesse esse, quo facilius recentior dialectus ad leges revocaretur, ut vulgus ad planam linguæ intellegentiam bonamque loquendi consuetudinem perveniret, id est ut periti atque idonei magistri informarentur. Nihil autem aptius ad docendam vulgarem linguam esse arbitratur quam eam cum vetere comparare; duplicem enim fructum esse percipiendum, ut nempe augeatur veteris linguæ scientia, et qua ratione recentior nata sit aperte diiudicetur. Sine dubio quidem, cum de docenda lingua Koraïs loquitur, plerumque in veterem intuetur (1); semper autem utramque linguam inter se conferre iubet, quod tantum ex ea collatione fieri possit ut vulgaris dialectus emendetur et oonstituatur, quod illum sibi proposuisse supra vidimus. Et expresse quidem sibi in animo fuisse dicit νὰ διδαχθῶ τὴν διαφορὰν τῆς κοινῆς ἡμῶν γλώσσης ἀπὸ τὴν πρὸ σχεδὸν ἑπτακοσίων ἐτῶν λαλουμένην γλῶσσαν, νὰ ἐρευνήσω τί ἐκέρδησε καὶ τί ἔχασεν εἰς τὸ μακρὸν τοῦτο διάστημα, καὶ ποῖα εἶναι τὰ μέσα ν' αὐξήσωμεν τὰ κέρδη καὶ νὰ ἐλαττώσωμεν τὰς ζημίας της (2).

(1) Ἄτακτα, IV, p. ιϐ; Ἀπάνθ., ep. ΟΣΤ, ΠΘ; Ἀπάνθ. δεύτ. ep. 28.
(2) Ἄτακτα, I, p. ε.

CAPUT III

De Koraïs ratione scribendi.

Suam ipse Koraïs orationem multum a perfecta forma abesse simpliciter fatetur. « Est, inquit, in meis Στοχασμοῖς αὐτοσχεδίοις tanta confusio et inæqualitas, ut nemo suspicari possit mihi quemquam vituperare in animo fuisse (1). » Quanquam enim, ut supra vidimus, aliquotiens in adversarios acerbius invectus est, tamen illud est laudandum moderationis exemplum quod a procacitate adversariorum longissime abest. His autem verbis, ut plerumque, vera loquitur.

Quid vero nos nostra ætate de Koraïs oratione iudicabimus? Neque æqualibus eius assentiendum est, sive illius amici fuerunt, sive inimici, namque æquo atque integro animo non æstimaverunt; neque iis qui postea exstiterunt, quorum sententia de Koraï eiusque operibus parvi momenti est; etenim non minus horum recentium Græcorum quam illorum qui proxime post Koraïm fuerunt animos præoccupavit præsumpta quædam de neohellenica dialecto opinio, et illam controversiam quæ tunc orta est, τὸ ζήτημα τῆς γλώσσης dico, ne viri quidem magnæ auctoritatis nostra ætate componere potuerunt. Nec tamen adfirmaverim solum alienigenam de Koraïs ratione scribendi bonum iudicem esse; solus autem bonus iudex erit ille, quisquis erit, qui ex duobus opinionibus quas fortasse habeat sese exsolverit, quarum altera ad ipsam illius temporis controversiam, altera ad præsentem Græcorum linguam pertinet; qui, ut plenius dicam, Koraïs orationem, utcumque de eius disciplina et de hodierna scriptorum consuetudine existimat, per se iudicandam esse viderit. Attamen ut æquabilem de Koraïs oratione sententiam exponat, eius disciplinæ, etiamsi summam reprehendit, rationem

(1) Ἄτακτα, I, p. ι.

habeat necesse est; ita ut, dum universam disciplinam iudicat, scribendi rationem qua sibi Koraïs uti debere visus sit, simul iudicet.

Nunc ad rem redeamus. Suam Koraïs, ut diximus, interdum imperfectam esse orationem ipse agnoscit. Quæ enim iubet, externas voces expellere, emendare chydaïsmum, macaronismum diligentissime vitare, num ea semper observavit, suisque ipse præceptis paruit? Iniuria in eum inclementius invehatur aliquis, cum se ipse reprehendat; est autem diiudicandum utrum vere in reprehensionem cadat an nimia modestia talem de se sententiam protulerit. Ut vero τὰ Ἄτακτα prætermittamus, quæ ex variis adnotationibus congesta continuam orationem non recipiebant, epistulasque, in quibus multa licentius dicendi sermo familiaris facultatem facit, præcipue Στοχασμοὺς αὐτοσχεδίους considerabimus. Eos enim Koraïs conscripsit quam optime potuit, ut legentibus simul ac præcepta scribendi exempla præberet; neque equidem eas præfationes vere optimæ orationis exempla esse adfirmare dubitaverim; et quando illud horatianum :

> Scribendi recte sapere est et principium et fons

pro vero habetur, principium illud Koraï non defuisse concedendum est. Vitione ei dabimus structuras quasdam minus politas et tardas aliquot implicatasque sententias? Eas quidem non immerito; quibus detractis mihi non videtur ad præstantiorem romaïce scribendi speciem illo tempore quemquam pervenisse. Liquida enim et simplex et in minimis etiam subtilis numerose fluit eius oratio, et in omnium intellegentiam cadit; adeoque in vocibus eligendis aptus in struendisque verbis sollers est ut sententia alio modo efferri non posse videatur. Vir ille, quem excellentem fecerunt et scientia et patriæ amor et liberales cogitationes quas in Gallia assumpsit, non minus scribendi arte excellebat; ita enim scribebat, servato quod ipse dederat præcepto, ut ex scriptis grammatica componi posset (1). Cum autem recentiorem dialectum videret veteri adeo esse dissimilem ut si quis lingua prisca uteretur ab intellegentia vulgi prorsus discederet, nusquam constructiones modosque loquendi veteris linguæ peculiares usurpare tentat, quanquam profecto si voluisset

(1) Ἀπάνθ. δεύτ., ep. 50.

maiorum dialecto solute usus esset; at simul romaïce scribens diligenter agrestiorem dicendi consuetudinem vitat, et chydaïsmi crimen effugit. Non aberrat a sua ratione nec secum ipse pugnat, nec tamen fastidiosa similitudine tædium adfert legentibus; nam quamvis inadfectato nudoque sermone uti soleat, quanta arte in varia dicendi genera orationem inflectit! In narrando enim simplex, pressus in argumentando, in iocando lepidus, acutus et mordax etiam in irridendo, interdum (absim tamen a reprehensione nimii favoris) ad fervidam quandam eloquentiæ speciem se tollit, si quando ad patriæ amorem cohortatur cives, studiaque liberalia quanti valeant ad regenerandam nationem ostendit.

Hoc tamen in oratione Koraïs est reprehendendum, quod passim in macaronismum delabitur; eiusque adversarii et viventis et mortui hoc illi obicere non omiserunt. Verum hoc vocabulo, cum de græca lingua dicitur, ambigui atque obscuri quiddam significari jam adnotavimus [1]; et vitium hoc, sit quidem vitium, commune est in recentiore dialecto, in qua priscæ formæ cum vulgaribus coniunctæ reperiuntur et semper reperientur. Propterea Koraïs macaronice invitus licet scribebat; eaque reprehensione nihil detrahitur de ceteris eius virtutibus, quibus eam laudem assecutus est ut inter optimos neohellenicæ linguæ artifices numeraretur.

(1) V. supra, p. 29.

CAPUT IV

De Koraïs discipulis.

Quare Koraïs disciplinam singulari favore multi eruditorum Græcorum amplexi sint facile intellegitur. Iam enim effervescebant animi reciperandæ libertatis studio; id unum Græci cogitabant, iugum servitutis excutere, locumque tandem obtinere inter liberas nationes, dignosque libertate ut se præberent ex illa ignorantia atque inhumanitate evadere qua obruti et quasi immersi essent. Itaque desideraverunt scriptores et poetas et eruditos qui græcum genus docerent iuvarentque consiliis; et linguæ vulgaris emendatio ad publicam utilitatem maxime pertinere visa est. Quando autem inter æquales Koraïs optime illas opiniones vulgavit, edocendique populi acerrimus atque illustrissimus fuit auctor, denique scientiæ utilitatem, præceptis simul traditis, luculentissime commonstravit, ideo ab omnibus ferme Græcis uno consensu probatus est, et summis laudibus elatus, ut qui optime de patria meritus esset; etiam appellatione *magni*, indignante Duka, salutatus est (1). Illius laudatores quam rationem emendandæ linguæ suasit pariter secuti sunt, et mox eum stipavit haud exiguus numerus discipulorum quibus continuo nomen *Koraïstis* factum est. Factionis litterariæ principatum appetivisse Koraïm equidem non arbitror, quamvis verisimiliter speraret fore ut a multis probaretur; neque enim mirum est si auctor cuiusvis disciplinæ in suas partes trahit discipulos qui mortuo duce causam eius defendant opusque inceptum persequantur. Hoc autem mea sententia verum est, minus sponte sua quam quod discipulis patrono opus esset Koraïm scholæ principem factum esse. Sicut vero sæpissime incidit, Koraïs discipuli parum habuerunt eius disciplinam laudare, adversariosque,

(1) V. prologum *Grammaticæ Terpsitheæ* secundum editæ, p. δ, in notula.

omni deposita moderatione, gravissimis improbissimisque contumeliis insectati sunt.

Maxime innotuerunt inter Koraïs fautores Constantinus Œconomus et Constantinus Kumas ([1]), qui eius commendatione Zmyrnam docendi causa venerunt, tum Alexander Basilii, Demetrius Darvaris et natione Gallus Iulius David. Quorum duo illi quos proxime nominavi nihil aliud quam tentaverunt grammaticis conditis disciplinam Koraïs observare. Alter enim *grammaticam haplohellenicam* composuit ([2]), quæ quadringentesimam paginam excedit nec novi quicquam docet, sed priorum grammaticorum errores decantat. Quanquam autem in præfatione se discipulum Koraïs profitetur, tamen eo excepto quod asseverat, hoc quidem haud spernendum, apud veteres Græcos vulgarem dialectum simul cum urbaniore lingua exstitisse, nihil est in eius opere notatione dignum, et aliquot post annis non immerito Koraïs scribebat bonam grammaticam desiderari. Nec plura dicam de libro Davidis, qui ceteroqui a controversia prorsus afuit; ille tamen primus unum ex præceptis Koraïs secutus linguam veterem cum recentiore comparare tentavit ([3]). Œconomus autem parum vel potius minime sese controversiæ immiscuit; neminem enim adgressus modo laudavit Koraïm et in iisdem opinionibus versatus est; cuius tantum illud notandum est quod de macaronistis dixit: « Nihil aliud isti quam opus iniustum et insanum faciunt ([4]). »

Hæc quidem haud immoderata; nec debuerant Koraïstæ ulterius procedere; longe autem aliter res se habuit. Ferocissimi Koraïs discipuli Alexander Basilii et Kumas ea acerbitate cooriuntur in adversarios, cui horum sola acerbitas par esse videatur, et Koraïm onerant laudibus quæ quamvis sinceræ sint atque

([1]) Koraïs laudat peculiariter Kumam in epistula quadam scripta ad Chios Zmyrnæ viventes, quam vide gallice translatam ab erudito viro de Queux de Saint-Hilaire in *Lettres de Coray au Protopsalte de Smyrne*, p. 227-241.

([2]) Γραμματικὴ ἁπλοελληνικὴ εἰς χρῆσιν τῶν ὁμογενῶν νέων. Ἐν Βιέννῃ, 1806, p. XVI-420.

([3]) Συνοπτικὸς παραλληλισμὸς τῆς ἑλληνικῆς καὶ γραικικῆς ἢ ἁπλοελληνικῆς γλώσσης. Ἐν Παρισίοις, 1820, p. ιστ-114. Sequitur Christopuli Στιχουργική, p. 129-138. Quæ grammatica Davidis gallice edita est, Parisiis, 1821, post anglice translata a Georgio Winnock, Londini; annus deest.

([4]) *Herm. Log*, 1811, p. 409 sq.: Λόγος περὶ τῆς ἑλληνικῆς παιδείας, ἐκφωνηθεὶς ὑπὸ Κ. Οἰκονόμου τοῦ πρεσβυτέρου (4 sept. 1811) εἰς τὴν ἑορτὴν τῆς ἐνάρξεως τοῦ τρίτου ἔτους τῆς κατὰ τὴν Σμύρνην Φιλολογικῆς Σχολῆς.

ab amico animo proficiscantur, nihilominus sæpissime progrediuntur ultra modum eoque graviorem iracundiam movebant. Alexander Basilii, Vindobonæ mercator opulentus, impensam præstiterat ut ederentur Heliodori *Æthiopica* eique proœmium Koraïs dicavit; idem inter primos in sententiam amici transiit. Hic autem liceat propria verba, quibus Koraïm laudat, commemorare : Οὔτε ἦτό ποτε, inquit, οὔτε εὑρίσκεται πιστότερος λάτρης τῆς ἑλληνικῆς φωνῆς καὶ παιδείας, οὔτε ἐνθερμότερος προστάτης, οὔτε ἐπιτηδειότερος καὶ ἀσφαλέστερος σύμβουλος περὶ ἐκμαθήσεως καὶ συντηρήσεως αὐτῶν, ὡς ἱεροῦ πυρός, ἀναγκαιοτάτου πρὸς ἀναζωπύρωσιν τῶν φώτων καὶ ἀναγέννησιν τοῦ ἔθνους, παρὰ τὸν Κοραῆν. Ὅλα του τὰ συγγράμματα πνέουσι τὸν ὑπὲρ τῆς ἑλληνικῆς παιδείας καὶ γλώσσης ζῆλον (1). Meritum quidem est illud præconium; quid autem, quod Kumas multo elatius inflatiusque laudes amplificat? Neque enim satis habet talem Koraïm depingere ut quo nemo fuerit illa ætate civium erudiendorum studiosior et peritior apte ac pure scribendi; « Koraïs, inquit, novus Lysias est, immo quibusdam est ornatus virtutibus quæ in Lysia desiderantur; numero et verborum suavitate ad Isocratem accedit; et solus nostro tempore magnus philologus est, solusque honorem Græciæ vere cupit. » Denique ad id admirationis venit ut quasi vaticinans græcum populum Koraï statuam auream positurum esse prænuntiet : Ἀλλ' ὦ δαιμόνιε Κοραῆ !.... ὅταν τὸ γένος ἐκτιμήσῃ ὅσον πρέπει τὴν ἀξίαν τῶν λόγων σου, θέλει ἀνεγείρειν βέβαια χρυσοῦν ἀνδριάντα εἰς τὴν πατρίδα σου (2). Scilicet integro animo sese iudicare dicit. Potius diceret iniquissimo; quippe cum Koraï amicitiam gerebat, et pertinaces cum Duka inimicitias, a quo librum suum *de Physica*, vix in vulgus emissum, carptum fuisse ægerrime patiebatur. At quomodo ipsius Dukæ opera Koraïs discipuli æstimaverint infra videbimus.

Partes Koraïstarum tunc tuebatur ephemeris quædam, quæ multam auctoritatem habuit. Omnibus Græcis summæ erat curæ illa de lingua disputatio, et hoc maxime est animadvertendum non solum per se exstitisse controversiam illam litterariam, sed etiam quod cunctis ea ratio reciperandæ libertatis esse videretur;

(1) *Herm. Log.*, 1811, p. 129 sq., in epistula Alex. Basilii.

(2) *Herm. Log.*, 1813, p. 281 sq. : Διατριβὴ εἰς κατηγορίας τινὰς τῆς τοῦ Δούκα Ἀργοῦς. Anno 1813 Dukas, edito Herodiano, prologum Ἀργώ nuncupaverat. Cf. *Herm. Log.*, 1813, p. 37 sq. : Τέχνη τοῦ λέγειν καὶ γράφειν, ab incerto auctore, sed verisimiliter a Kuma scriptum.

nec quicquam reipsa disceptatum fuisse nisi ut Græci in nationem redigerentur; libertatem enim animorum prius, deinde corporum Græcos ita voluisse ut depulsa ignorantia sese iugo exuendi ius potestatemque haberent. Res autem maxima quærebatur, quæ lingua usurpanda esset; de quo cum plures opiniones propositæ essent, alius aliam amplexus est et suas quisque sententias et observationes quæcumque erant in publicum extulit. Nullum edebatur opus quin continuo subtiliter expenderetur et in varias laudes reprehensionesque incurreret. Cum autem pro virili parte quisque scribere cuperet, doctioresque tantum et præcipue factionum principes libros præfationesque conscriberent, reliqui contra ad expromendas opiniones non haberent locum, nonnullis in Europæ urbibus institutæ fuerunt græcæ ephemerides, præsertim Vindobonæ, ubi Græci multi habitabant. Quas inter eæ non sunt ignobiles quibus tituli *Hermes Logius, Hellenicus Telegraphus, Callicpe,* hæc quidem aliis posterius edita; quarum prima per totam Europam fusa est, et maxime, ut Koraïstarum instrumentum, digna est quæ respiciatur. Cui titulus est Ἑρμῆς ὁ Λόγιος ἢ φιλολογικαὶ ἀγγελίαι, et huiusmodi opus gallice potius *revue* quam *journal* dicimus; Græcis autem decem ferme annos quodcumque editum est notum fecit. Cum primum anno MDCCCXI° ab Anthimo Ghazi, qui Koraï amicus erat, edita esset, ineunte anno MDCCCXIV°, postquam Vindobona discessit editor, conquievit, et biennio post rursus a Pharmakidi et Kokkinaki, Koraï instigante, prolata, non habuit finem nisi cum bellum turcicum erupit. Quam eo consilio editam fuisse prælocutus editor denuntiat ut litteraria scripta ad linguam græcam peculiariter, et ad comparandam recentiorem dialectum cum vetere, et ad ipsam recentiorem emendandam pertinentia commemoraret. Quærenti igitur de græcis litteris temporis illius et de neohellenicæ dialecti mutationibus et de disputatione tunc inter doctos coorta, Hermes Logius singularia quædam indicia et res notabiles abunde præstat. In hoc vero decernendi æquabilitatem inesse ne credat; quamvis enim opera diligentes idoneique viri describant, tamen studio quodam et favore impulsi iudicavisse plerumque apparent, ita ut eorum iudicia, quæ illo tempore quasi ultima essent, nostra ætate multo minorem auctoritatem habere videantur. Nec tamen ad rem cognoscendam minus pertinent; quæ quidem certissima monumenta disceptationis et quasi annales nobis tradunt, quanquam omnia pugnaci et quasi

bellatoria oratione scripta sunt; ferme enim nihil ante annum MDCCCXIV[um] nisi Dukæ insectationes insunt, ac postea controversia inter Koraïm et Kodrikam ampliorem locum obtinet. Opiniones Koraïs ephemeris illa simpliciorem et lucidiorem quendam in modum ita vulgavit ut eas intellegere omnes facile possent, quarum cum quasi sucum legentibus præberet, multum adiuvit ut reciperentur; maximi enim momenti sunt ephemerides ut rerum notitiæ diffundantur, quibus diffusis nascitur humanitas; impolitus autem populus raro fuit liber, ideoque Logium Hermen non minus quam Koraïm ipsum Græciæ profuisse prope dixerim.

Similiter quæ de docenda lingua Koraïs præcipiebat in consuetudinem venerunt; quanquam enim studium veteris linguæ anteponebatur, tamen recentiorem dialectum docebant magistri, et iam cavebant ut in scholis utramque linguam cum altera conferrent; quod satis demonstrant hæc præcepta, e disciplina lycei Bukurestiensis anno MDCCCXI° sumpta:

δ'. — ... Ὅσαι λοιπὸν λέξεις ἑλληνικαὶ εἶναι καὶ τὴν σήμερον ἐν χρήσει, νὰ μὴ ἐξηγῶνται δι' ἄλλης λέξεως δῆθεν συνωνύμου, διὰ νὰ καταλαμβάνῃ ὁ μαθητὴς τὴν συγγένειαν τῆς ὁμιλουμένης γλώσσης μὲ τὴν ἀρχαίαν.

ε'. — ... Ὁ διδάσκαλος..... νὰ κάμνῃ τὸν παραλληλισμὸν τῶν ἰδιωμάτων τῆς παλαιᾶς μετὰ τῆς νεωτέρας γλώσσης (¹).

Ita opiniones Koraïs paulatim per totam Græciam invaluerunt.

Veruntamen discipuli Koraïs potius nocuerunt causæ magistri quam profuerunt. Multo enim illi impares et scientia et ingenio et præsertim moderatione, se tantum cupidos turbulentosque præbuerunt eiusque præcepta immodico usu, ut Rhizus loquitur, depravaverunt. « Falsi enim, inquit, isti Koraïstæ Græciam opplebant operibus perobscura oratione scriptis quorum mirificas sententias insolentiaque verba apud auctores veteres recentioresve nemo inveniat; adeoque pernicies illa ingravescebat ut ipsi scriptores vix alius alium intellegere et suorum quisque scriptorum sensum extricare possent. Tum ego adversus eos anno MDCCCXII° fabulam composui (²). » Cui titulus est τὰ Κοραχιστικά, ἢ διόρθωσις τῆς ῥωμαίκης γλώσσας (³). Attamen ne

(¹) *Herm. Log.*, 1811, p. 66. Διάταξις τοῦ ἐν Βουκουρεστίοις λυκείου. Περὶ τοῦ διδασκάλου τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης.

(²) V. *Cours de littérature grecque moderne*, p. 113, græce translatum ab Olymp. Abbot, p. 148.

(³) Dicit Rhizus titulum esse *le Nouveau patois des savants;* sed Sathas

putaveris rationi Koraïs Rhizum adversatum fuisse, cum contra fautor illius et quidem certissimus fuisse videatur; aperte enim asserit linguæ veteris revocandæ consilium inutile et irritum et fallax, tum fere iisdem verbis quibus Koraïs usus, utrique linguæ detrimento esse, sic enim pollui veterem recentioremque depravari et inopem fieri (1); et sibi hoc tantum se proposuisse ut ineptias eorum lacesseret, qui corrupissent Koraïs rationem, non ut ipsam adgrederetur. Cumque iterum fabula edita est, prooemio editor admonet auctorem de ipsis viris quorum errores derideat optime existimare, neque fabulam nisi coactum conscripsisse, ut periculum gliscentis pestilentiæ depelleret (2).

In rem autem non est lepidam illam fabulam describere, neque elegantius equidem quam vir nostras linguæ græcæ peritissimus descripserim (3). Rhizus autem rem ex sententia gessisse gloriatur, subicitque, minime ut videtur invitus, progrediente ætate Koraïs rationem confirmatam fuisse. Id autem notatione dignum, eum in fabula Hermæ Logii irridendi omni occasione usum esse, quem recte an perperam omnium ineptiarum Koraïstarum receptaculum esse arbitrabatur.

in opere Νεοελληνικὴ Φιλολογία dicto nullam huius fabulæ mentionem facit; et verisimilius est auctorem hoc titulo fabulam τὰ Κορακιστικά intellegi voluisse, quæ anno 1813 editam esse Sathas tradit, Humbertus autem 1812. Cuius fabulæ nunc rarissimæ editioni, quam mihi vir benevolentissimus de Queux de Saint-Hilaire legendam dedit, annus est 1813, locus autem editionis deest.

(1) V. operis Rhizi supra laudatam translationem, p. 163. Verba Koraïs v. supra, p. 30.

(2) Sathas, Νεοελλ. φιλολ. παράρτημα, p. 310, in notula.

(3) *Notice sur les* Κορακιστικά *de Rizos Néroulos,* par M. le marquis de Queux de Saint-Hilaire, in *Ann. de l'Assoc. pour l'encour. des Ét. grecques,* 1870, p. 67-94.

CAPUT V

De Koraïs adversariis.

In Koraïm initio invecti sunt ii quoscumque adgressus est, chydaïstæ et macaronistæ. Deinde alius adversarius, postquam iterum editus est Hermes Logius, eum impugnavit, et ille fuit Kodrikas. Suam macaronistæ causam vehementissime defenderunt; vulgaris autem linguæ propugnatores videmus libris aut ephemeridibus minus usos esse ut sua ipsorum opinio vinceret. Interest tamen, quo melius omnes controversiæ partes cognoscamus, de eorum disciplina agere.

I. — *Athanasius Christopulus.*

Dixere quidam Christopulum, qui alter Græciæ Anacreon est appellatus, Katartzis discipulum esse; quibus equidem non assentio. Etenim Katartzis quidem iam ante existimaverat minime contemnendam esse dialectum vulgarem, et ad leges posse revocari, si scriptores ea uterentur; ab eo autem Christopulus abest, quod recentiorem linguam aliter ac studiorum instrumentum examinavit et conatus est argumentis docere eam ex duabus dialectis esse conflatam, æolica nimirum et dorica, ideoque linguæ veteris esse propaginem, quam qui desereret prorsus insaniret. Iamdiu enim linguam recentiorem minime rudem barbaramque, sed versibus et præsertim versiculis fingendis maxime idoneam et facilem et elegantem esse, tum suavibus verbis imaginibusque abundare animadverterat; qua sola uti debere Græcos demonstrare constituit.

Christopulus, quod poeta erat, eo libentius ad similitudinem linguæ Pindari et Theocriti vulgarem dialectum accedere existimabat; nec tamen adeo erat avidus fingendi ut fallaci specie captus inania prosequeretur, et aliis demonstrare nihil aliud

4

voluit quam quod sibi ipse demonstraverat. Legentem enim præmonet suam grammaticam non temerario consilio excogitatam esse : Δὲν εἶναι τῆς φαντασίας μου πλάσμα, ἀλλὰ τῆς τωρινῆς Ἑλλάδος συνήθεια πάγκοινη (1); sedulo autem ex labore, atque e diligentissimo consuetudinis communis studio esse effectam; tum multis argumentis utitur in prooemio, cui titulus est : « Demonstratur hodiernam linguam græcam æolodoricam esse (2). » Prooemium illud, quod ferme dimidiam partem libri tenet, dignissimum est quod legatur; in quod contraxit quidquid ad probandam opinionem valere arbitratus est. Græcarum dialectorum in primis doricæ et æolicæ inspicit mutationes quas modo ὁλικάς aut potius, ut eius lingua utamur, ὁλικαίς, modo μερικαὶς ἀλλαγαίς vocat (3); nempe fit prior cum vocabulum quoddam in novum sensum transit, vel in alterius significationem subicitur; posteriores sunt apocopa et metathesis et reliquæ litterarum mutationes. Inde de nominum verborumque declinatione loquitur ; et colligit, sæpius iterata sententia, linguæ vulgaris litterarum mutationes et declinationem et coniugationem et syntaxin inspicienti omnes illas formas constructionesque, quæ barbaræ esse videantur, doricæ dialecti atque æolicæ proprias esse apparere; ideoque a se eam linguam iure æolodoricam nominatam esse. Multos quidem errores in hoc prooemio invenias; exempli gratia fieri ex ἄριστος, mutato α in ω, ὥριστος dicit; εἶμαι, εἶσαι per translationem ex ἐμί, ἐσσί; in verbis exitum ουν tertiæ personæ pluralis e dorica terminatione οντι, per apocopam mutatoque ο in diphthongum; θά particulam quæ futuri hodierni signum est a δά pro δή inflexam esse ; et alia huiusmodi multa (4); tum sæpius veteres dialecti cum vulgari lingua perperam collatæ sunt; et quod multo gravius est universa Christopuli sententia falsa est. Veruntamen præfatio *Grammaticæ æolodoricæ* ingeniosum est opus et multa memorabilia continet.

Prooemio autem ipsa grammatica multo impar est; desunt enim ordo et rerum grammaticarum scientia, et male prætendit auctor duobus tantum mensibus opus confectum fuisse (5). Partes ora-

(1) Πρὸς τὸν ἀναγνώστην. Grammaticæ titulus est : Γραμματικὴ τῆς Αἰολοδορικῆς (*sic*) ἤτοι τῆς ὁμιλουμένης τωρινῆς τῶν Ἑλλήνων γλώσσας. Ἐν Βιέννῃ παρὰ Ἰωάννᾳ Σχραίμβλ, 1805. Sequitur drama æolodoricum.

(2) Ἀπόδειξις τ' ὅτι ἡ τωρινὴ ἑλληνικὴ γλῶσσα εἶναι Αἰολοδωρική.

(3) P. 6-7.

(4) V. p. 8, 16, 51, 52-53.

(5) Ἐμένα δὲ, ἂν ἔσφαλα, ἂν παρέτρεξα τίποτε, ἄς με συγχωρίσουν, ἠξεύροντας ὅτι αὐτὸ ὅπου προσφέρω εἶναι μηνῶν περίπου σύγγραμμα. P. 164.

tionis aut non definit, aut prava definitione explicat, unde peculiariter cum de constructione agit obscurus est. Quamvis enim in grammatica non sit prorsus necessarium orationis partes definire, et in opere quod ad eruditos pertineat sine periculo omittantur quædam quæ verisimiliter ab illis non ignorentur, alia ratione conscribenda est grammatica quæ sine discrimine omnes hanc ipsam linguam, qua utantur, homines doceat; in qua omnia definire est pernecessarium. Quis enim nescit solis definitionibus in genera partes orationis dividi et confusionem vitari posse? Quibus deficientibus auctor nec vulgo nec sibi ipsi sui intellectum facit. Talis autem est Christopuli grammatica. Quæ cum in duas partes sit distributa, in priore tantum illud mirum notabimus, deesse verbum εἶμαι, posterioris vero longum est singula reprehendere; tamen inter alias mirificas leges hanc unam adfero quo facilius de summa operis iudicetur: Ὅταν εἰς τὸν λόγον εὑρεθοῦν δύω μονογενῆ (videl. nomina) διαφόρων προσώπων, τότε τὸ ἕνα μεταβαίνει εἰς γενικήν (1). Cum tamen illa ætate vix staret ars grammatica, et perarduum esset colligere regulas linguæ quam ferme omnes regulis carere existimarent, Christopulus minus reprehendendus est; eiusque grammatica, imperfecta licet atque ordinis expers, cetera huiusmodi opera simplicitate et brevitate superabat.

Christopuli sententiam protinus amplexi sunt fere omnes linguæ vulgaris propugnatores, in primis Philippidis qui iam Konstantæ adiutor innotuerat, et anno post duodecimo quam Christopuli grammatica edita est historias Trogi Pompeii et Flori in dialectum æolodoricam hellenicam transtulit, et cum priore translatione simul rationis illius defensione quadam edita auctorem magnifice laudat: « Alius, inquit, linguæ nostræ nomen imposuit, neque id quidem temere, sed quia dialecti atticæ et ceterarum dialectorum, et pariter æolodoricæ erat peritissimus; cui inter nos præcipuosque inter viros Europæ litteris græcis eruditos primus locus tribuendus est (2). »

Inter alios Christopuli fautores Vilaram nominabimus, qui de corrigenda orthographia scripsit (3).

Ut recte de ratione Christopuli iudicetur, ea duplici aspectu consideranda est. Re enim auctor nititur ut linguam vulgarem

(1) P. 147.
(2) Sathas, *op. laud.*, p. 195.
(3) Ἡ ρομεηκη γλοσα. Στην τηπογραφηα τον Κορφον, 1814 (ex catalogo Vreti, p. 173). Ex hoc titulo satis manifestum est quidnam Vilaras suaserit.

in universam consuetudinem adducat, ita ut omnium consensu poesis et solutæ orationis, litterarumque et scientiæ instrumentum adhibeatur; ratione autem recentiorem dialectum ex æolica et dorica constare et quasi sororem esse atticæ, huic venustate elegantiaque haud imparem, probare tentat. Quæ quidem opiniones apud doctos quosdam in honore fuerunt, altera autem alteram fortunam tulit. Ratio enim æolodoricæ linguæ non diu viguit, quippe minus probabilis; et quasi obruta est disceptatione inter Koraïm et Dukam orta, post certamine quod Koraïstis cum Kodrikæ fautoribus incidit; sequenti tamen ætate postquam in pacem simul et in libertatem Græcia restituta est, et de integro disputatum est de lingua, confusa quædam vestigia illius rationis apparent, ceteroqui adeo obscurata ut iis aliquid Christopuli disciplinæ inesse vix crediderim. In usu autem ea permansit vulgaris linguæ species quam adhibendam Christopulus suasit; quæ, cum ante illum iam exeunte XVIII° sæculo multi scriptores ea uterentur, *Grammatica æolodorica* quasi confirmata est; et sententia Christopuli, postquam ipse elegantissimis versibus et miro quodam carminum lepore eam minime insulsam esse ostendit, immortalis facta est. Nunc enim, cum nondum Græci de sua lingua consenserunt, sermonis vulgaris qualis in usu cotidiano est multi sunt propugnatores, qui nonnunquam haud spernenda pro eo scribunt.

II. — *Neophytus Dukas.*

Anno ante *Grammaticam æolodoricam* edita erat *Grammatica Terpsithea* (1), Neophyti Dukæ opus, quod antequam Græci adversus Turcos bellum commiserunt quartum editum est; amplissimam enim intra brevissimum tempus laudem consecutum est. In præfationibus suam Dukas opinionem de lingua græca, de emendanda recentiore dialecto, de adversariorum disciplina exprompsit.

Ratio Dukæ ab omni parte contraria est Christopuli rationi. Illi est propositum linguam ad meliorem speciem revocare; quæ autem via quærenda est? Aliam non esse Dukas existimat ac restitutionem veteris linguæ, servatis tamen vulgaribus formis tanta consuetudine usitatis ut minime aut difficilius exstirpari

(1) Ἡ κατ' ἐπιτομὴν γραμματικὴ Τερψιθέα. Ἐν Βιέννῃ, αωδ'.

possint. Quod quomodo sibi in mentem venerit ipse Dukas his fere verbis narrat [1]: « Cum colloquerer cum magistro meo Lambro Photiadi, et dixissem mea sententia non fieri posse ut vetere lingua Græci uterentur, ille mihi : Difficilius est, inquit, nasci quam crescere; fuit autem tempus cum græca lingua non exsisteret, quæ statim ut nata est tantam perfectionem brevi spatio est consecuta ut lingua deorum vocata sit; quomodo igitur, quanquam tot vicissitudinibus corrupta est, servatis vero iisdem elementis eodemque in universum habitu, fieri non possit ut ex omni labe se expediat? Nonne vides ut animantia, quamvis rapidæ corruptioni obnoxia sint, pristinas vires curante medicina reciperent? Quid est igitur cur nostra lingua progredientibus ætatibus ad pristinam speciem et ipsa non revocetur? Non quod nobis imitanda sint Platonis scripta, quæ quoad vixit summo studio limavit; sed ad eam linguam qua in sermone cotidiano usi sunt Plato et alii tendere debemus. — Quibus verbis equidem fidem habui. »

Hæc autem vehementer reprehenderunt Koraïstæ, ut falsum crimen Photiadis memoriæ illatum [2]; at verisimiliter Neophytus vera loquitur, neque est ut eum suspicemur mentitum esse, cognitis eius indole, adversariorum in eum invidia, et opinionibus Photiadis qui anno MDCCCV° mortuus modo post editum Ælianum hoc ipso anno Koraïs partes amplexus est. Infra autem videbimus Dukæ inimicos adeo exarsisse ut modum decentiæ honestatisque sæpe excederent; unde graviter eos vituperare, eorumque verbis nonnunquam nullam fidem habere æquum est.

Docti autem Epirotæ ratio non orta erat, ut dixere quidam, ex vano consilio linguæ recentioris, vetere adiuvante, locupletandæ [3]; immo ex iis quæ ipse Dukas scripsit et adversarii eius tradiderunt, quæ fuerit apertissime patet. Stetit enim certo stabilique proposito de quo nunquam declinavit; et quanquam auctor ipse ultra quam satis est processit, id tamen illius laudandum est quod summo ordine excogitavit disciplinam suam, quam tenacissimo animo, neque obtrectationibus neque contumeliis fractus, ad imum

(1) In prologo *Grammaticæ Terpsitheæ* secundum editæ, 1808, p. ξστ, in notula.

(2) V. Ἐπιστολαὶ αὐτοσχέδιοι γραφεῖσαι ὅταν ἐφάνη ἡ δευτέρα τῆς Τερψιθέας γραμματικῆς ἔκδοσις, ἐκδοθεῖσαι ὑπὸ Ἀλεξάνδρου Βασιλείου. Ἐν Βιέννῃ, 1809. P. 51. Vid. quas Koraïs Photiadi tribuerit laudes, in Στοχ. αὐτοσχ. ad Ælian., p. πη, in notula.

(3) Vide supra, p. 18.

immutatam servavit. Nulla enim ex parte fluctuat, quamvis finem sibi propositum longius distare non ignoret quam ut uno impetu attingatur. « Græci sumus, ait, et plurimum interest nos ad Græcos præsertim lingua proxime accedere (1). Oportet igitur formas veteres nulla mutata conservare, et ex vetere lingua quæ in recentiore desiderentur sumere, atque exterminare non solum externa vocabula, sed etiam omnes illas ridiculas voces quæ nihil aliud quam linguam corrumpant; oportet constructionem ad speciem perfectissimam, id est ad veterem constructionem paulatim perducere, et docere pueros in scholis ut maiores græce loqui; oportet infinitivum restituere, et futurum, et ceteras formas quæcumque aut prorsus evanuerint aut quadam ex parte depravatæ sint; quæ cum facta fuerint, nihil inter recentiorem linguam veteremque amplius intererit (2). Quid autem stultius quam præclarum, nobile, honestum patrimonium nolle resumere, cum in promptu sit? Et quid Græcis gloriosus sit quam si integram maiorum linguam reciperent (3)? At enim scribere ut Demosthenes non possumus. Equidem fateor; num autem idcirco id desperemus? Si perfectionem persequimur, eius consequendæ viam inire debemus. Cumque nec ipse Æschines neque ullus unquam Demosthenem æquare potuerit, tamen alii permulti fuerunt in Græcia digni imitatione; quid ergo, omissis illis, in ore habetis Demosthenis nomen, et eum barbare scribere dictitatis, qui ut Demosthenes non scribat? Sed vobis deest benevolentia (4). » Adeo autem Dukas suam rationem iustam esse confidit, ut miranda quædam præiudicet; neque enim solum persuasissimum habet fore ut veteris linguæ usus revocetur, sed etiam exclamat: Ἐλεύσεται καιρὸς ὅτε αὕτη γενήσεται κοινὴ εἰς τὰ ἔθνη..... τοῦτο καὶ ὡς ἄξιον εὔχομαι, καὶ ὡς δυνατὸν προμαντεύω (5).

Ea est Neophyti Dukæ ratio. Si quis eum quandoque ironia quadam atque etiam acerbitate usum esse neget, maiorem vero eius moderationem effingat; sæpius enim asper fuit, amarus, mordax, et graviter in hoc peccavit quod Koraïm nominatim adortus est, quem nunquam nisi ironice *sapientem Koraïm*, τὸν

(1) Περὶ τῆς λαλουμένης γλώσσης, opusculum editioni Æschinis Socratici subiunctum, p. 342.

(2) Περὶ τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης, p. 308.

(3) *Ibid.*, p. 300.

(4) V. prologum *Grammaticæ Terpsitheæ* tertium editæ, 1812. Sathas, *op. laud.*, p. 289.

(5) Περὶ τῆς λαλουμένης γλώσσης, p. 337.

σοφὸν Κοραῆν, cuiusque præfationes τὰ λακωνικὰ αὐτοσχέδια τρακαρίσματα nuncupat. Tum eum obiurgat quod barbaram fabricatus sit orationem et vitiorum plenam, quæ nihil efficiat nisi tædio legentes fatiget; plerumque tamen eum non nisi lacessitum respondisse, obliquisque et perspicuis tamen adversarii ambagibus, quamvis nunquam a Koraï nominetur, se ipsum peti haud immerito iudicavisse confitendum est. Postquam Koraïs, ut eius disciplinam notaret, ab Italorum lingua vocem *macaronismi* mutuatus est, Dukas quoque *trakarismum* finxit, et mox ingravescente certamine utraque vox a fautoribus alterarum partium in probrosum sensum ita accepta est ut proxime ad deteriorem significationem vocis *chydaïsmi* ab utrisque contemptæ accederet. Dukas autem tali appellatione se nullo modo lædi existimavit; imo in eam iocatus sese μακαρονιστάρχην ipse nominavit (¹); cumque solus cum solo Koraï disputat, quæ plerumque de parte aliqua artis grammaticæ disceptationes sunt, se clementissimum, interdum quidem vehementem, nunquam contumeliosum ostendit.

Eius fautores, ut fieri solet, multo incivilius egerunt; quantum Dukas moderatus, tantum illi fuerunt impotentes; neque enim solum adversariorum rationem, sed etiam ipsos homines impugnaverunt; cumque iis ironia non satis esset, venerunt ad contumelias; et Koraïm et eius opera ferocissime insectati sunt. Quorum maxime innotuit Stephanus Kommitas, qui anno MDCCC° in prooemio grammaticæ linguæ veteris recentiorem dialectum omnino contemnendam, veterem revocandam esse denuntiaverat, et postquam Dukas prima opera scripsit eius partes amplexus est. Idem haud iniucunde Koraïm cum Duka comparat in epistula quadam ad posteriorem scripta; in qua utriusque operibus inspectis Dukam laudibus amplissimis extollit, Koraïmque accusat quod admodum indoctus sit nec prorsus Dukæ scripta intellegat (²). Alius autem, isque multo acerbior, qui amicus fuit Kommitæ, ceterum ignobilis, Skalioras nomine, Koraïm gravissimis conviciis urget: « Delirus iste senex, inquit, qui somniis monstrisque suos libros polluit, se solum esse iactat qui publicam utilitatem cognoscat et solum esse dignum qui magnus habeatur in Græcia; qui sane in Cynosarges expellendus

(¹) V. epistulas editioni Æschinis Socratici subiunctas, p. 275.
(²) V. editionem Æschinis Socratici, p. 203-209.

est. Sed istum quis esset detexit amicus meus Neophytus, Lynceo perspicacior, eumque ἐθεάτρισε θεατρικώτατα, δείξας καὶ εἰς τοὺς ἁπλουστέρους τὴν παγίδα τοῦ πονηροῦ καὶ γόητος μουφλουζοφιλοσοφογέροντος (1). » Mihi autem venia sit quod stultissimi hominis ineptias retulerim; quibus videndum est quorsum abiisset controversia; iam enim de lingua non amplius agebatur.

Quid vero quod Dukæ inimici pariter obtrectaverunt eius scripta, ipsumque indignissimis probris lacessiverunt? Neque enim maledictis cesserunt eius fautoribus, quanquam unus Kumas sermone minus acerbo quam ceteri utitur. « Quis Dukam, ait, intellegere potest, cum priscas voces usurpat? Nemo certe, et experiri licet. *Grammaticam Terpsitheam* conscripsit qua inutilior in Græcia nulla unquam edita est, adeo dura et incondita est oratio. Iniuria autem in Koraïm invehitur, cum verisimiliter ne unam quidem paginulam eius legerit (2). » Sed Alexandrum Basilii audiamus : « Quid scribit Dukas, ineptus delirusque senex, nisi ut chartam nigro colore inficiat? Etenim et Thucydidem ridicule et Eutropium inficetissime edidit, et in utraque editione erroribus errores contexuit; grammatica *Algesithea* mendosa et inutilis neque orthographiam neque syntaxin docere potest; denique Dukas, tyrannorum more, sibi omnium laudes tribui cupit, nec Koraï infensus est nisi quod ab omnibus illum collaudari ægerrime patitur (3). » Cum autem Dukam alii Scytham, barbarum, litterionem, antiphilosophum, illitteratum, sophistam, publicum hostem nominarent (4), idem Alexander insuper addit λῃστήν, τυμβωρύχον, μορμολυκεῖον (5)!

Attamen Dukas non victus est. Cuius fautores, numero minores licet, hoc superabant Koraïstas quod lucide quid vellent intellegebant. Eorum quidem opiniones vivente Koraï minus in honore fuerunt; reddita autem libertate, diligentiore studio Græci antiquis litteris se dederunt, et consilium veteris linguæ revocandæ in animos rediit. *Grammatica Terpsithea* universo plausu excepta est, stomachantibus auctoris inimicis (6); quan-

(1) Sathas, *op. laud.*, p. 293-294.

(2) Διατριβὴ εἰς κατηγορίας τινὰς τῆς τοῦ Δούκα 'Αργοῦς, in *Herm. Log.*, 1813, p. 281 sq.

(3) V. epistulas Alex. Basilii supra dictas, p. 6, 65 in notula, et præcipue ep. I, II, V; tum aliam eiusdem epistulam in *Herm. Log.*, 1811, p. 129.

(4) Περὶ τῆς λαλουμένης γλώσσης, p. 310.

(5) 'Επιστολαὶ αὐτοσχέδιοι, p. 13, in notula β.

(6) Prol. *Gramm. Terpsitheæ* secundum editæ, initio.

quam enim partes quædam vitiosæ sunt, et confusionem passim operis ratio parum certa peperit, quam ipse Dukas videtur cognovisse, cum summariis capitum aliquot conspectum clariorem efficere tentaverit, tamen illa ætate eius grammatica melior nulla exstitit, nec mirum videtur talem librum, quo in scholis omnes magistri uterentur, iterum atque iterum editum fuisse; et auctoritas qua tamdiu in Græcia floruit, non nisi philologæ scientiæ et grammaticæ comparativæ processu exstincta est.

III. — *Panaghiotis Kodrikas.*

Controversia inter Koraïstas et Dukistas longe aberat a fine cum anno MDCCCXVI° Hermes Logius iterum editus est; tum priores alter hostis invasit, Kodrikas qui licet Koraï iampridem infensus nihil ferme adhuc adversus eum scripserat. Vir erat doctissimus, liberalibus sententiis ornatus, peritissimus linguæ græcæ, quem nonnulli ingenio præstantiorem Koraï habent.

Sicut Koraïs et Dukas, Kodrikas postulat ut recentior dialectus ad leges revocetur a quibus nulli scriptori discedere liceat; ceterum illo tempore nemo erat inter doctos Græcorum qui linguam emendandam esse non existimaret. Ille autem de via emendationis multum cum aliis dissentit. Cuius rationis, quam in opere cui titulus est Μελέτη τῆς κοινῆς διαλέκτου (1) exposuit, duæ præcipuæ sunt partes; nec minore subtilitate quam scientia explicat primo quæ et qualis sit recentior Græcorum lingua, secundo, et hoc quidem consequens est, quibus artibus lingua emendari et Græci dialectum expolitam sibi comparare possint. In primis, ut videmus, Kodrikas gravem reprehensionem effugit qua Koraïs adversarios increpare solet; prius enim quam linguam curaret, quæsivit quo morbo laboraret.

Quod ad statum linguæ pertinet, Kodrikas novam quandam rationem profert et dignam quæ intento animo consideretur; eam autem auctor, deficiente materia, non potuit confirmare, aut potius, ut videtur, probare noluit; sed rem exposuit quæ in dubium venire non posset. Etenim a principio linguam communem apud antiquos Græcos exstitisse asserit, quæ vulgi lingua esset, quæque per ætates a maioribus posteris tradita nova specie

(1) Μελέτη τῆς κοινῆς ἑλληνικῆς διαλέκτου, t. I, Parisiis, 1818. Alter tomus non editus est.

nostro tempore vigeat, e vetere lingua sine intervallo consecuta, substantia quidem similis, dissimilis tamen accidentibus [1]. Nemo certe id excogitare potuit, nisi vir ingenio præstantissimus; sed ita aberrat Kodrikas a proposito, tractatis temere alienis rebus, ut magno cum detrimento suæ rationis linguam vulgarem ex omnibus priscis Græciæ dialectis in unam commixtis constare concludat, neque ullam emendationem fieri posse nisi ille linguæ character immutatus servetur.

Neohellenica lingua, qualem eam esse Kodrikas vult, media quædam est dialectus, si ad temporum ordinem respicimus, inter linguam Chydaïstarum, Macaronistarumque linguam; id est inter recentiorem sermonem qui vulgo in usu erat et linguam veterem. Ut enim lingua emendetur, in eam inducendæ sunt voces sententiæque quæ vere græcæ sint, eæque omnes apud byzantinos historicos sacrarumque rerum scriptores inveniuntur. Concedit tamen Kodrikas ut etiam a proximis Isocrati temporibus repetantur; ultra autem ne progrediaris; tum enim aliam linguam dicit occurrere, prorsus dissimilem, cuius structura et numeri aliter se habeant. Denique summa diligentia cavendum est ne græcæ formæ sine discrimine in linguam intromittantur hoc ipso quod veteris linguæ propria sint, et ante omnia ne ipsa vetus lingua revocetur; propriam enim cuiusque linguæ speciem esse, ideoque suam et recentiori dialecto esse naturam quam pernecessarium sit non immutare, receptis formis græcis quidem, quæ autem cum illa non congruant, communemque consuetudinem ita depravent ut dinosci non possit. Eæ igitur eiciendæ sunt quas dicunt grammaticas emendationes veteris linguæ studiosi; et pariter inutile est et contrarium rectæ linguæ quidquid in ea rude ac sordidum ad græcam formam revocare velle. Principium enim philosophicæ grammaticæ est usus communis, et emendatio linguæ neque est neque dici potest emendatio nisi ad exornationem, non ad perturbationem dialecti tendit [2]. Exornatio autem est ἡ ἀνήκουσα προσθήκη τῶν ἐλλειπόντων καὶ ὄχι ἡ ἀφαίρεσις ἢ μεταβολὴ τῶν προσόντων [3]. Quibus verbis Kodrikas illis Dukam his Koraïm aperte significat. Recte igitur Kodrikas dici potest factionis princeps, talemque

(1) Sathas, *op. laud.*, p. 219, 222, 224.
(2) Sathas, *op. laud.*, p. 229, 233, 236.
(3) Μελέτη, p. 291.

eum fuisse e longa controversia quæ inter eum Koraïmque exstitit præcipue apparet.

Incommode autem accidit ut Kodrikas libri alteram partem non scripserit; in qua discere poteramus non sine iucunditate quadam quomodo suis ipse præceptis pareret. Liber de communi dialecto haudquaquam est spernendus, et acutis sententiis plenus, et quanquam auctor recentioris linguæ naturam, cum eam e priscis dialectis conflatam esse dicat, satis perspexisse non videtur, tamen in hoc laudandus est quod inter primos eo consilio veterem linguam accuratissime inspexit ut vulgaris dialecti originem cognosceret, et notionibus multis ad neohellenicam linguam eiusque dialectos pertinentibus, imperfectis quidem, sed ingeniosis atque utilibus scientiam temporum illorum auxit. Longe vero afuit ut adversarii eius librum æqua æstimatione perpenderent. Præterquam enim quod Koraïs rationem impugnavit, opportunum se criminibus fecit, graviter conviciatus ipsum virum eiusque fautores quos ut vidimus nemo impune lædebat. Cum enim Koraïs doctos Græciæ viros cohortatus est ut operam Hermæ Logio anno MDCCCXVI° commodarent, eos Kodrikas ab hoc deterruit, et implacabile Koraïstarum odium suscepit cum paulo post edidit τὴν Ἀπολογίαν τῶν ἐν Πίζῃ Ἑλλήνων. Præterea in alio libello anno MDCCCXVII° edito, qui titulum habet Πρὸς τοὺς Οἰκείους, non temperavit maledictis. « Divini illi philosophi, inquit, quidnam consilii ceperunt? Num ut nos nostram linguam docerent? At quæ sit plane nesciunt. Num ut suam ipsorum? Fingendæ linguæ sunt certe impares. Quid igitur sibi proponunt? Scilicet nos docent factionem quandam esse nomine Koraïsmum cuius curia sit Hermæ Logii deversorium. Cuius curiæ mercenarii sunt ἡ σοφολογιότης των, iussi in suas partes trahere multitudinem, sapientibusque insultare. Ergo ex professo insultant. Istorum autem publicorum conviciatorum duces quasi muta ξόανα in tripode pythio stantes, in occulto oracula edunt. O histriones! Sed feræ interdum auricula eminet (1). » Denique ἡ Μελέτη multa arrogantius asperiusque dicta continet, et Koraïs queritur quod in illa a principio usque ad finem non solum contumeliæ, sed etiam calumniæ in se impudenter congestæ sint (2).

Ut in priore parte certaminis, adeo in hac posteriore pertina-

(1) Sathas, *op. laud.*, p. 298.
(2) In epistula in ephemeride *Calliope* edita; Sathas, *op. laud.*, p. 299-300.

citer disputatum est ut lingua linguæque doctrina pæne omnino relicta fuerit, et probris tantum, omissis argumentis, alterius factionis homines alteram onerarent. Itaque ne longus sim, illud modo commemorare mihi videtur, librum Kodrikæ, ut primum editus fuerit, acerbissimis vituperationibus tum iustis tum plerumque iniustis exceptum fuisse; de quo exempli gratia Hermes Logius ita iudicat : Τὸ βιβλίον τοῦ Κοδρικᾶ πρέπει νὰ θεωρῆται· ὡς μία ἀποθήκη πλουσία ἀπὸ ἰδέας ψευδεῖς καὶ ἀρχὰς κακάς· ὡς ἡ πλέον ἐπιτυχημένη εἰκὼν τῆς ἀθλίας καταστάσεως τῆς παιδείας τῶν παρελθόντων αἰώνων· ὡς βιβλίον συκοφαντικὸν καὶ ὑβριστικόν (1).

Discordiarum finem fecit bellum turcicum, nec quævis factionum certam victoriam iactare potuit.

(1) *Herm. Log.*, 1819, p. 408 sq.

CAPUT VI

Quid de Koraïs ratione sit iudicandum.

Quæ conatus est Koraïs ut linguam vulgarem emendaret non irrita fuerunt. Cuius opiniones non solum allexerant viros doctos qui et revocationem veteris linguæ reicerent, et immutata vulgi dialecto uti non tolerarent; sed etiam viri nomen grandisque amor patriæ eas multum foverunt; præterea quæ suaderet ne adversarii quidem iusta esse et opportuna negare poterant. Nisi Græcis fuisset nimium antiquitatis studium, maiorem etiam auctoritatem habuisset; quanquam ipsum illud studium multum profuit ut placeret eius disciplina. In hoc autem ante Koraïm errore versabantur, quod linguam vulgarem barbaram esse credebant et indignam quæ ad opera gravia conscribenda adhiberetur; et primus Koraïs errorem patefecit; primumquedico, quia qui linguam vulgarem prius tuebantur vix oculos Græcorum in se converterant; ea nempe quæ scripserant Konstantas et Christopulus a plerisque nihil aliud quam ioci et poeticæ fabulæ habebantur. Primus igitur Koraïs falsam illam opinionem impugnavit, missisque ambagibus dicere ausus est: Ἂς ἀφήσωσιν (οἱ νέοι) τὴν ἀνάστασιν ταύτην (τῆς προγονικῆς γλώσσης) εἰς τοὺς ἔχοντας τὸ χάρισμα τῶν θαυμάτων (1). Et simul docti viri Græciæ animadverterunt mortuam esse dialectum veterem, et sibi esse linguam vere vigentem, ad tempus moresque accommodatam, nec venustate neque ubertate ceteris Europæ linguis imparem, quæque diligenti cura ad absolutam speciem perduci posset. Nec solum Koraïs vulgaris linguæ dignitatem restituit, sed etiam civibus suis illum, qui communi sermone uteretur eumque emendaret ac celebraret, se pro patriæ amantissimo gerere ostendit. Illius opera accuratius factum est linguæ veteris

(1) V. Ἐθνικὸν Ἡμερολόγιον Marini P. Vreti, 1867, p. 204.

studium, qua via recentior facilius emendari posset; et communis dialectus, quanquam de veteris honore nihil deminutum est, ex illa humilitate tandem emersit in qua diutius quasi universa neglegentia oppressa iacuerat. Illius opera purior facta est et splendidior, et ad elatas sententias exprimendas aptior, ne multa, haud indigna qua uterentur optimi scriptores quæque cultissimis linguis Europæ in æquo poneretur. Illius opera neohellenica lingua in se oculos doctorum Europæorum convertit, nec postea depravata quædam dialectus, sed vera lingua habita est cuius origo ac leges in historia linguarum suum locum tenere deberent. Libertatem alii patriæ dederunt; at Koraïs pretiosius aliquid Græciæ dedit, nempe litterarum studium, id est principium humanitatis cultiorumque morum, et ipsum prosperioris fortunæ fundamentum. Itaque eius nomen in maximam Græciæ venerationem pervenit, et quamvis deinceps de eius opinionibus aliquid favoris est detractum, ille tamen primus linguæ neohellenicæ scientiam constituisse iudicandus est.

Cum Koraïs, ut vidimus, media ratione usus utramque immoderatiorem sententiam ita effugerit ut pariter eos qui inani proposito linguam obsoletam revocare vellent, eosque quibus damnosum esset consilium lingua prorsus rusticana per speciem perspicuitatis loqui impugnaverit, in universum æstimantes eius disciplinam profecto laudandam esse declarabimus; res vero singulas consideranti a reprehensione non abesse videbitur. Cum autem supra iam reprehendenda quædam notaverim (1), superest ut de rebus duabus agam quæ quidem ut ad genuinam linguæ speciem arte pertinentes et maximam partem in Koraïs ratione obtinentes gravissimi momenti sunt; xenismos enim et macaronismum dico.

Neohellenica lingua, tum ex se ipsa tum e vetere lingua a qua derivata est, eam sane copiam verborum sumpsit quæ ad exprimendas omnes sententias suppeteret, et recte quidem Koraïs externas voces respuit. Num autem ille linguæ cuiusvis, quæ in usu sit, naturam satis perspexisse videatur, qui de industria omnes dictiones externas ex ea eiciat? Græcorum quidam et ipsi fatentur nullam linguam vacare xenismis (2); ac simul et historia docet et nunc necessarium esse apparet duas nationes

(1) V. p. 38.

(2) Ἐθνικὸν Ἡμερολόγιον, 1870, p. 318 : Ἰωάννου Βηλαρᾶ ὁ Λογιώτατος ταξιδιότης. Cf. *Herm. Loy.*, 1812, p. 14.

aliquamdiu vicinas esse non posse quin utraque ab altera vocabula quædam mutuetur. Etiam in antiquitate, cum consuetudine et commercio minus late minusque frequenter populi miscerentur, e dissimilibus partibus linguæ constabant, et Platone auctore a barbaris vocabula quædam Græcia acceperat (1). Nec modo ea vocabula dico quibus significatur vel aliquid alienigenarum peculiare, vel res nova ab iis excogitata, cuius nomen in aliis linguis usurpatur; tum enim manifestum est xenismum esse necessarium. Maxime equidem de iis loquor quæ in usum veniunt quod vel sensim et quasi furtive irrepunt in linguam, vel melius quam genuina vox eandem rem significare videntur, vel auctoritate scriptoris cuiusdam protinus vulgo innotescunt. Quod cum ita fit, initio licet obniti, immo oportet, neque hominum libidini indulgere; cum autem xenismus quidam in consuedinem omnium receptus est ac sollemnis factus, tum in dictionarium ex necessitate est perscribendus, et ipsam linguam adulteret qui eum eicere velit.

Reipsa neohellenica lingua externis vocibus quasi obsessa erat, et ad eam emendandam constituendamque strenue erat agendum; Koraïs autem meminisse debuerat innumerabilium illorum xenismorum, quamvis maxima pars expellenda essent, ut qui universam symmetriam et propriam speciem linguæ perturbarent, nonnullos tamen servandos esse, quos ipsius symmetriæ observantia perspicuitatisque amor ab eiectione defenderent. Recte enim verba turcica ut μπαχτζές et italica ut βοκαβολλάριον eieceris, quandoquidem exsistunt in lingua græcæ voces περιβόλι et λεξικόν, eædemque haud inusitatæ. Ubi autem in communi usu xenismus quidam iamdiu viget, quid eum expellas, cum vacantem eius locum difficulter et forsan nullo modo explere queas? Lingua autem græca adeo verbis abundet ut plerumque aliam vocem ad explendum locum præbeat; quæro equidem num huic voci græcæ idem plane sensus æque luculentus ac verbo externo subiciatur? Non subici verisimile est. Immo cum verbum externum aut natura aut arte speciem habet cum ceteris linguæ formis congruentem, et vox græca, orta licet e fonte græco, minus venusta et luculenta est, quare in illud sententiam pronuntiaveris, quam profecto usus non sit comprobaturus. Non

(1) Plat., *Cratyl.*, 409 D-E : Ἐννοῶ γὰρ ὅτι πολλὰ Ἕλληνες ὀνόματα, ἄλλως τε καὶ οἱ ὑπὸ τοῖς βαρβάροις οἰκοῦντες, παρὰ τῶν βαρβάρων εἰλήφασι.

longum est multa in hodierna Græcorum lingua externa vocabula invenire, pleraque turcica, quæ græcis vocibus, quas in eorum locum supponere quidam voluerunt, facile elegantiora videantur; eaque sapientes viri etiam in cultiore scribendi genere firmo animo usurpant. Nonne enim λουλούδι lepidius est quam ἄνθος, et βάρκα, βαρκούλα minus aspere sonant quam σκάφος, σκαφίον? Quid quod μαντίλι depellere quidam conati sunt, et substituere vocem horridam ῥινόμακτρον?

Erravit igitur Koraïs qui necessarios xenismos ab illis non diiudicaverit, qui sine detrimento linguæ exterminari possent; omnes enim ad unum ita infenso animo exagitat, ut audacius ac prope periculum quos expelli non posse intellegat interpretetur, eosque græco cadere fonte quoquo modo tentet comprobare. Nec tamen suos discipulos adeo temere atque inconsulte acturos suspicatus est; quos Rhizus, in fabula supra laudata, tum Vyzandius in fabula cui titulus est ἡ Βαβυλωνία (1) haud illepide illudunt quod verba originis græcæ reperiendæ causa ridicule torqueant.

Alteram autem Koraïs reprehensionem subit quod temere verbo macaronismi usus est, quod quidem eius adversarii studiose illi obiecerunt. Scribebat enim Dukas neminem, posita Koraïs definitione, esse ἀμακαρόνιστον (2); Kodrikæ autem sententia, quæcumque scripsit Koraïs de macaronismo intempestiva sunt atque insulsa (3). Et multo post etiam quam de macaronismo silentium factum est, fuerunt qui Koraïm impugnarent : « Quæ vox, ait Chantzeris quidam in *Pandora* ephemeride, annis circiter viginti postquam Koraïs mortuus erat, incertissimam auctoris sententiam significat; macaronistas enim dicebat esse τοὺς συνδυάζοντας ἀσυνδυάστους κατ' αὐτὸν μόνον φράσεις καὶ λέξεις; at inane hoc esse verbum et vagiens infans intellegat, et ipse Koraïs quinto vel decimo quoque versu, quidquid scripsit, in crimen macaronismi incurrit (4). » Enimvero non falsum erat crimen; vox tamen placuit, statim ut eam usurpavit Koraïs, et omnium assensu accepta est; et quanquam parum cognitum

(1) Ἡ Βαβυλωνία, ἢ ἡ κατὰ τόπους διαφθορὰ τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης, κωμῳδία εἰς πράξεις πέντε συγγραφεῖσα παρὰ Δ. Κ. Βυζαντίου. Ἔκδοσις δευτέρα. Ἐν Ἀθήναις, 1840. V. p. 46, personam τοῦ Λογιωτάτου.
(2) Sathas, *op. l.*, p. 287.
(3) *Herm. Log.*, 1819, p. 408 in notula.
(4) Περὶ γλώσσης, in *Pandora*, t. XI, p. 349 sq.

est quam reipsa vim haberet, de vocabulis vel de verborum circuitibus est dicta, immo in contumeliam abiit. Iam autem vox obscura est, si de græca oratione dicitur, et obscurior facta est cum ita in sermonem venerit ut si quis Koraïstis inimicus esset, ille nominaretur macaronista. Qui ergò sunt fines rectæ et macaronicæ linguæ? Cur ἐπιτρέπω reprehendendum est, et probandum συγχωρῶ (1)? Συνάγω, φράσσω, φυλάσσω, eiecta ζω solita terminatione, germani sunt macaronismi (2). Ergo omnia illius temporis, et ipsa Koraïs opera, et simul quæcumque scribunt Græci nostræ ætatis plus minus macaronica sunt, et universa neohellenica lingua nihil nisi macaronica est dialectus. Ut quis scriptor reprehensionem effugeret, aut lingua vetere debebat uti, aut omnino rusticana, et neutrum fieri poterat. Macaronismi igitur vocem perperam obscuriusque usurpatam infeliciter in linguam græcam Koraïs induxit, cumque omnia sine discrimine externa vocabula expelleret, hoc ipso uti non debuerat.

(1) Στοχ. αὐτοσχ. ad Isocr., p. ιζ, note 6.
2) V. supra, p. 28.

CONCLUSIO

Quæ neohellenicæ linguæ mortuo Koraï fortuna fuerit.

Eo tempore cum Græci bellum adversus Turcos susceperunt, pluribus Koraïs quam aliorum opiniones defendebantur et videbantur permansuræ. An ideo prævaluerant? Anno MDCCCXXII° Rhizus, ut vidimus, ait disciplinam Koraïs progrediente ætate confirmatam fuisse; Dukas contra paulo ante asserit præcepta legesque Koraïstarum prorsus obsolevisse (1); et Sathas, anno MDCCCLXX°, Koraïs opiniones, τὰ γραικικὰ τοῦ Κοραῆ, etiam eius discipulos fautoresque post bellum turcicum oblitos esse aperte profitetur (2). Sententiæ autem Dukæ ratio non habenda est; adeo enim suæ disciplinæ confisus est ut adversarios victos esse facile crediderit; ceterum de sola verborum emendatione loquitur. Duarum aliarum, quæ inter se maxime dissident, alteram exprompsit Koraïsta eo ipso tempore cum Koraïs defensores sese vicisse credebant, alteram vir doctus nostræ ætatis quem suum scribendi genus veteris linguæ studiosissimum esse denuntiat, quique, pace eius dixerim, suis opinionibus plusculum quam concedit veritas fortasse largitus est, quamvis scientiam Koraïs magnopere laudet. Eas tamen sententias concordare forte dicat aliquis, quod recte quidem anno MDCCCXXII° Rhizus iudicaverit, falso autem post decem annos æstimavisset. Verum nobis e rebus gestis, non temere e verbis scriptorum disceptandum est.

Quid autem, sumptis armis, in Græcia evenit? Dum fuit bellum, controversia conquievit; quidam peregre habitantes grammaticas conscripserunt, seu discipuli Koraïs, ut Kondus et

(1) Sathas, *op. l.*, p. 302.
(2) Νεοελλ. φιλολ. παράρτημα, p. 211.

Schinas, seu Dukæ imitatores, ut Mynas (1); sed de emendatione linguæ nusquam agebatur, cum Græci omnium rerum nisi libertatis armis reciperandæ immemores essent. Tantum autem intermissio fuit. Postquam enim bellum confectum et regnum Græciæ constitutum est, rursus de vulgari lingua doctissimus quisque disputavit; alii, velut antea, veterem dialectum defenderunt, alii recentiorem, alii autem steterunt in media quadam sententia, omnes tamen minus pertinaces. Koraïs disciplinam, quanquam in ingenti honore erat, haud pauci imperfectam esse existimaverunt non quod eius principia parum firma esse censerent, sed quia prudentiora et quasi timidiora quædam consequerentur; veteremque linguam restituere, quod a plerisque antea somnium esse putabatur, pro officio habuerunt. Tum componere quodam modo rationem Koraïs cum Dukæ disciplina tentaverunt; diligentissimo enim studio, ut prior suaserat, dedito linguæ vulgari, eam tamen emendare parum habentes immutare voluerunt, et spes animos subiit fore ut brevi posterioris proposita efficerentur. Num ideo Koraïs opiniones multum consenuerunt? Immo libros et ephemerides evolventi in quibus ab anno MDCCCXXXIIIº ad annum MDCCCLXXum de lingua scriptum est (2), nonnullos quidem fuisse videbitur qui impugnarent Koraïs consilia, multo autem plures qui ea aut integra aut parce commutata sequerentur. De macaronismo nihil, nec mirum, quippe controversia quasi sedata erat; satis enim inter doctos conveniebat eam linguæ speciem quæ in vulgi consuetudine esset, quamvis nonnulli interdum pro ea scriberent, servari non posse. Attamen præter eos qui disciplinas Koraïs et Dukæ volebant coniungere, duæ opiniones inter se diversissimæ supererant Græcis; quorum multi pertinaciter linguæ veteris usum restituere cupiebant, multi autem vulgi dialectum convenienter emendatam retinere; et illi libente animo linguam neohellenicam in dies propius ad veterem accedere profitebantur, hi contra renuntiabant eas esse et semper fore dissimiles, non solum verbis, sed grammatica

(1) Εισαγωγη εις την σπουδην της νεοελληνικης γλωσσης, παρα Σπυριδωνος Ιππεως Κονδου, Κερκυραιου. Κερκυρα, αωκζ', p. 75. — Grammaire élémentaire du grec moderne,... par Michel Schinas. Paris, 1829, p. XV-192. — Grammaire grecque, contenant les dialectes et la différence avec le grec vulgaire, par C. Minoïde Mynas. Paris, 1828, p. VIII-366.

(2) Præcipuæ sunt ἡ Ἐφημερὶς τῶν Φιλομαθῶν, ὁ Φιλίστωρ, ἡ Πανδώρα.

structura (1), et eos qui linguæ veteris vellent restitutionem tale dialecti genus moliri ut audientes risum non tenerent (2). Debemus autem confiteri ab ipsius Koraïs genere scribendi iam multum hodiernam consuetudinem recessisse (quod quidem proprium est linguarum quæ in usu sunt), et linguam scriptorum ad veteris speciem notabiliter progredi. Tempore diiudicabitur utrum Koraïstæ nostræ ætatis recte sentiant, an Græci, ut scripsere quidam, brevi recepturi sint Demosthenis et Isocratis linguam (3). Mihi autem liceat deplorare, sententiam secuto illustris viri græcarumque litterarum peritissimi, paulatim veram populi græci linguam obsolescere (utinam falsa augurer!), suavem illam neohellenicam dialectum, et elegantem, et numerosam, et dignissimam qua scribant homines et loquantur.

(1) V. epistulam Philippi Joannis ad Marinum P. Vretum, Ἐθνικ. Ἡμερολόγ., 1866, p. 189. Cf. G. Sophoclem : Πόθεν πηγάζει ἡ περὶ τὴν ἑλληνικὴν παιδείαν γενικὴ ὀλιγωρία ἡμῶν. — Ὁ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἑλληνικὸς φιλολογικὸς Σύλλογος, t. I, p. 107.

(2) Ἰωάννου Βηλαρᾶ ὁ Λογιώτατος ταξιδιότης. Ἐθν. Ἡμερολ., 1870, p. 318.

(3) A. N. Vernardakis, *Le présent et l'avenir de la Grèce*, p. 23.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. III Idus Mart. ann. MDCCCLXXXIII.

Facultatis Litterarum
in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX NOMINUM

INDEX CAPITUM

Burdigalæ, ex typis G. Gounouilhou, via dicta Guiraude, 11.



QUID KORAÏS

DE

NEOHELLENICA LINGUA SENSERIT

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

MONDRY BEAUDOUIN

In Facultate litterarum Burdigalensi docens.

PARIS

ERNEST THORIN, ÉDITEUR

LIBRAIRE DU COLLÈGE DE FRANCE, DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE,
DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

7, RUE DE MÉDICIS, 7

1883

